

BARTOLOMEI  
MARANTÆ  
VENVSINI MEDICI.

De Aquæ, Neapoli, in Luculliano scatu-  
rientis (quam ferream vocant) me-  
tallica materia, ac viribus.

AD EXCELLENTISSIMVM  
PRINCIPEM  
MARCHIONEM  
DE LOS VELEZ

*Regni Neapolitani Proregem  
vigilantissimum.*



NEAPOLI M.DC.LXXXI.

Apud Heredes Ludouici Caballi.

*Superioram Licentia.*

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI  
DOMINO  
D. FERDINANDO  
FAXARDO,  
ET REQVESENS

*Marchioni de los Veles, Molina, & Marzorellæ, Domino septem Villarum fluminis Almansoræ, &c. Regni Murciae Praetori, & in Regno Neapolitan. Proregi, Locumtenentii, & Capitaneo generali.*



IL gratiùs subditis amo-  
re Principis; nil eius pro-  
tectione charius. Amet  
Princeps, & plectat.  
Protegat, & puniat; quin  
imò arctissimis eos strin-  
gat catenis; quòd arctissima profectò

erunt amoris vincula . Illos tandem dura  
studeat mancipare seruitute , quod nec ser-  
uos præferent , dum amanti seruent .  
Noua non ingratæ tyramnidis excogita-  
tio , amore subditos illaqueare , absq; fer-  
ro comparare victorias . Tu cæteris præ-  
stantior , adeo Catholicæ Maiestati cuius  
vices geris , omnes reddere studiisti man-  
cipatos amore , vt hostes ipsi , ne incas-  
sum elaborarent , fugere citius duxerint ,  
quam bellum indicare , nostraque littora  
non appellere ; non vt fabuloſo Sirenum  
cantu perirent , sed ne vero tot nostri Re-  
gis subditorum amantium amore simili ,  
& ferro , in proprium potius sanguinem  
mergerentur , quam mare . Felix Italia ,  
quæ tua valuit virtute , vel arcere bellum ,  
vel non timere ; si que bina inspicimus  
tua protectione seruata Regna , erunt hęc  
vtique preciosiora columnis ijs , vltra quas  
progredi non licebat . Videat quęſo quiſ-  
quiſ

quis fit, an tuus possit vinci amor, præsta-  
ri protectio, cum intèr arma ipsa, tempo-  
raquè bellis parata, verè fabulosum red-  
dideris Martem. Sed quid de tuo amo-  
re, de tua protectione loquor, dum quan-  
tus es, amores, & protectio. Aquam ip-  
sam Ferream propè Lucallianum castrum  
fluentem, tot annorum silentio præscri-  
ptam, tu idem ad lucem, quinimò ad sa-  
lutem noua mole, nouaque memoria,  
vetustate deperdita reuocasti. sic à té po-  
tiùs, quàm à natura edocta, se nunc meri-  
tò ferream iactat, vt robur addendo va-  
leitudini prospicit, non vt sanguinem sitendo  
feriat, & gratior quidèm, quàm Achillis  
hasta, dum sanat, non ferit, nec cuspidem  
habet, vt noceat, sed liquet, vt foueat.  
Nemini igitur Excellentissime Domine,  
ni tibi tanquam tui amoris speculum, di-  
candus erat liber hic, ab eximio illo viro  
Bartolomæo Maranta Venuſino scriptus,

quo

quo mira huius aquæ natura demonstra-  
tur.. Illum benigno accipe animo , tuaq;  
foue protectione, cui potius, quam nouis  
datus est typis , & vale .



Lectori Beneuolo

Typographi Filius.

**I**ector amice salutem tibi dico, verius  
quam alibi scriptum reperias. Nam  
libelum de aqua salubri tractantem dico,  
quamuis patri meo lethalem, etenim dum è  
tenebris eam eruebat, effossam ab Herculeo  
monte, propè Lucullianam oram, typis no-  
stris excussam clarificare nitebatur, Martis  
crocus eū breui horarū spatio necauit, ne egre-  
gium opus perficeret, ad tui salutem destina-  
tum. A qua tamēn innocens, nām medicus  
chimica non bene edoctus, vel Galeno infen-  
sus, crocum ori suo propinavit, ne illud ape-  
rire ad virtutem aquæ huius, cum insigni  
hoc

hoe tractatu buccinandum . Infolens me-  
diorum perfidia , qui non semel aquam per-  
dere, occludere, obscurare, pessum dare, prout  
• ex pharmacopole studuerunt, ut effusis lan-  
guentium apibus , auro potabili sitim eorum  
extinguerent, molestis pharmacis magno pre-  
cio distributis , dignum punitione facinus ,  
• tametsi benigne Collaterale Consilium se ha-  
buerit ( caueant vero ut audio, moxque in-  
futurum ) voluit enim, ut egentes per se vi-  
deant ab auctoris doctrina, ex experimento ,  
quanta sit aquae huius efficacia , primus enim  
fuit Ferdinandus Loffredus, Marchio Tri-  
nici Collateralis Consiliarius , sub huius au-  
spicijs libellus hic Bartolomei Marante pri-  
mo prodit, nunc alter Collateralis Consilia-  
rius, Regens Regiam Cancellariam D. Ca-  
rolus Calà, Diani Dux memoria restituì cu-  
ranit, Excellentissimus vero Prorex Velen-  
sium Marchio, publici boni studiosissimus re-  
staurari iussit, regioque sumptu magnifice lo-  
cum

cum disponi ad promptum, facilemque omnibus austum. At non exigua medicæ aquæ laus est, medicorum inimicitia, quibus gratuitæ salutis nūquām grata remedij notitia. Tu vero munificentia ne abutaris, nec in omnibus utaris malis, ne molesta tibi sit: libellum consule, ne consilium excedas, neue exaggeratam auxeris aquam; intra aggeres fluentis, non effluentis bibas. Vnum tamen tibi admonere volui, quod in libello non reperi traditum ab auctore; sunt enim qui non iejuno stomacho eam solummodo excipiunt, sed dum prandent vino mixtam, in quantitate, & vicibus ebibi in prandio solitis, quod nemini nocumento fuisse audiui, imo usui esse doctissimo, & peritissimo Philosopho, & medico Excellentissimi nostri Proregis, & Regni huius archiatri D. Andreae de Gamaz, alijsque multis, quibus grato successit cœntu, quamvis lento, & serotino beneficio. Tu consule propriam natu-

naturam, & utere ut libet, & necesse est,  
& vale, crocique Martis memor est, ut ef-  
fugias medicum eo utentem, vel abutentem,  
& planetam efferum Mercurio, & Appol-  
lini nunquam amicum, ad necem inferendam  
potius, quam ad vitam, salutemque tuendam  
paratum.



De huius Aquæ virtute testimonium  
**HENRICI DE ROCHAS.**

**IN TRACTATV**

*De Observationibus nouis, & vera cogni-  
tione aquarum mineralium.*

**H**Vius rei testis est, inquit, experientia. Näm in Ciuitate Neapolitana iuxta Sanctæ Luciæ templum, fons est ferruginosus, & sulphureus, cuius usus ciuibus viciniis, & longè dissitis incolis ad disenterię, fluxus sanguinis, obstructionem icteri, aliorumque morborum melancholicorum sanationem, sineulla malignitate, cum insigni effectu inseruit:

**IVSTINI METRONI**  
medici cap.

*Penès quem repertum est opusculum  
Bartholomei Marante,  
Aliud in sequenti epistola.*

**N.N.**

N.N. AMICO CHARISSIMO  
salutem.

Perquam gratae mihi fuerunt literae tuæ  
Charissime N. & quod te benè valere  
ex illis acceperim, & quod mei, tibi vnde-  
quaque deuinctissimi immemor in tanta lo-  
corum distantia minimè euaseris. Quod au-  
tèm de Aqua, quæ nuperrimè in usum me-  
dicum hic Neap. inuenta est, ad plures mor-  
bos profligandos, scire cupis, quamvis plu-  
ribus occupatus ex æquo satisfacere non  
valeam, haud tamèn patiar te, quod ad potero,  
quo teneris desiderio frustari. Referam ea  
propter breui loci seu mineræ conditionem,  
aque saporem, colorem, misturamque; item-  
que eius usus, & inde habitas ægritudinum  
obseruationes.

Iam diu ad Platamonis oram, & non pro-  
cul à Castro Oui dicto, in loco vulgo sotto le  
Crocelle, ex scopulo quoddam in maris litto-  
re sito emerserat aqua, maris tamèn natura  
non referens, verum adeò ignota nullique  
usui addicta, ut pluimis annos sub forma  
marini laticis latuerit: tandem casu ne, an  
humana industria accolis innotuerit, non  
bene prospectum habeo: caput autem à qui-  
bus-

busdam primum in lotiones, cæteraque ex-  
trinsecus adhiberi, vnde ulceribus, inflatio-  
nibus, oculorum inflammationibus miram-  
opem attulit; A peritoribus deinde naturæ  
peruestigatoribus in examen reuocata, visa  
est alterius, quam salini saporis compos, quā-  
obrèm destillationibus, & operationibus,  
alijsq; experimentis exposita subsidere ob-  
seruata est in Tabulum ferreum, instar reli-  
quarum aquarum è mineris fossilibus pro-  
deuntium. In hanc eamdem ductus & ego,  
curiositatem, non semel locum ipsum adiui,  
comperiq; è scopuli meatibus interioribus  
in ampullas primum erumpere, & claram sa-  
tis, limpidamque apparere, mox circumcircà  
sui originem, ferri eruginem relinquere, ac  
degustatam consimilem saporem præseferre,  
ut propterea ferrata vulgo appellata sit.  
Quamvis autem eo loci, cum erumpit, clara,  
& decolor videatur, crystallo tamèn, aut vi-  
tro conclusa parumpè ad flauum inclinat;  
Quamobrèm non incongruè suspicari cœpi,  
vitrioli, & aluminis aliquid, præter fortrem  
naturam retinere.

Eius vires id ipsum etiam approbant, si-  
quidem abstegit, exiccat, roborat: plurimi  
quo.

quoque ægritudinibus, quæ eiusmodi ope-  
gent, perquam opportune opitulatur, qua-  
rè mirifica obseruata est in Hepatis ægritu-  
dinibus calidis, alujfluxibus, febribus ardēti-  
bus, eliquationibus, & quidem nedum epota,  
verum etiam per clysteres injēcta. Efficaciter  
quoque sīstit fluentes falsos humores ē cere-  
bro in thoracem, cæterasque partes infernas,  
illacrymationes oculorum, & ardores tem-  
perat, mobiles dentes firmat, gutturi, & fau-  
cibus inflammatis succurrit, si in vsum gar-  
garismatis adhibetur, sthacelum inhibet,  
stomachum repurgat, interdum mouet aluū,  
& valde prodest hydropicis, vrinæ inconti-  
nentiam reprimit, & alia huius generis plu-  
rima mirabiliter operatur, quæ vix verbis  
exprimi possunt.

Hæc ut potui amicissime N. strictim, cur-  
rentique calamo retuli, cætera subindè, quo  
polles ingenio, sedatoque iudicio ex his tu-  
met facillime deduces; Intereā si quæ alias  
temporis opportunitas feret, & diurna ex-  
perientia suggestet in posterum, & ego refer-  
re non desinam. Vale, & me tui crede

*Amantissimum  
Iustinum Petronum:*

Neap. VIII Kal. Septembris 1681.

# PAVLO MONACHO NEAPOLITANO

*Medico ac Philosopho Clarissimo.*

BARTHOLOMEVS MARANTA  
Venusinus.



Noredibilis tuus erga  
me singularisque amor  
Paule eruditissime, co-  
git te, vt maiorem de-  
me, quam par sit existi-  
matione concipias: Con-  
tendis enim, immò ma-  
ximopere vrges, vt quid  
fentiam de medicata aqua paucis ante die-  
bus in Neapolitano tractu inuenta, quam  
ferream vulgus appellare solet, tibi aperiā;  
sed cum apertè intelligam, plus oneris à te  
mihi imponi, quam vt sustinere possim; de-  
berem profectò efflagitationi tuæ audacter  
resistere; Certo enim scio fore, vt si ardens  
ista tua in me benevolentia paululum refri-  
xerit,

xerit, tute ipse fateare; id à me tibi postulantib[us] iurè negandum fuisse. Cur enim id aggredi ego audeā, quod tot celebres Neapolitanæ academiz medicos ferè deterruit? Non te profecto latet, quām multa, à multis de illius aquæ qualitatibus, ac mineris dicta sint, dum Neapolitanorum turbā, spe multos affectas profligandi, pro se quisque ad illam bibendam concurreret; Quæ tamen ita ab illis dicebantur, ut sibi ipsis ea in re planè non satisfecisse, vel ipsi faterentur. Arduum quidem est, & perdifficile ea de re primus sententiam dicere, quam ut recte cognoscas, plurimis experimentis comprobari necesse sit. Nam si in innumeris ferè balneis; quæ per multa secula vsu ferè assiduo probata à curiosis hominibus sunt varias de eorum viribus, atque mineris sententias videamus; cur non difficillimum esse iudicabimus veram eius aquæ naturam peruestigare, de qua nemo adhuc sit locutus, cuiusque nullum adhuc certum experimentum viderimus? Nam quamquam variae proponantur à medicis viæ & rationes, quibus fontium, balneariorumque mineras cognoscamus, omnes tamen fallaces esse consueverunt: atque à non-

à nonnullis etiam nullo pacto admittuntur. Nam quòd destillatio ex eorum numero sit, quæ non semper rei veritatem offendat, non solum multi, qui de balneis scripsere, quiq; de ea periculosa fecerunt, testantur; sed in hac ipsa aqua nos experti sumus; Fæxenim illa quæ evanescere aqua remansit, non semper eundem saporem præse tulit: sed quandoque insipida, sapientia salsa, nonnunquam etiam subamara visa est. Pratercà cum diuersorum fossilium succi (ut sèpè accidit) cum aqua permiscetur, hi, qui tenuiorum sunt partium, nullo eorum in recrumentis relicto vestigio, simul cum aqua obsolescunt: Idemque in decoctione evanit, in qua & aliquid etiam crassarum partium conspectu auferuntur: sunt qui idem opus solis adminiculo moliantur; sed nullum videri discrimen inter hoc genus, & illud, quod ignis vi sit, nisi quòd hoc diuturniori tempore perficitur, multi testantur. Videtur hoc satis clare in Bada oppido Austræ, cuius balnea cum bonam sulphuris, magnamque copiam habeant, nihil tamen eius in aquæ destillatae aut decoctæ fæcibus reperitur. Sensus etiam omnes fallaces sunt: multas enim

*Thermas sulphureas ( vt a videndi sensorio incipiam) luteo colore videmus, multas etiā Candidas, quod & Poetacecinit.*

*Sulphurea Nar albus aqua.*

Nonnullas nullum planè colorem, sed aquæ potabilis speciem omnino præferre: Candidam præterea reddere aquam solet alumén, & sal, & gypsum: vnde incertiores reddimur quod nam ex his aquam huiusmodi colore inficiat. Idem & in gustus sensu euenire certissimum est: nam cum acer sapor in aqua nonnumquam reperiatur, quia multa fossiliū genera scrimoniā aquæ communicare possunt, hæremus cui nam hunc saporem acceptum referre debeamus. Atque de alijs saporibus eodem modo. Idēq; de cæteris sensibus est intelligendum, si quid ab illis habere possimus, quod ad aquarum naturam investigandam conferre possit. Neque enim admittenda eorum sententia est; qui cum huiusc rei noticiam à sensibus pertendam esse existiment, tunc inquiunt aquæ mixtionem perfectè haberí, cum omnes sensus simul propria indicia habuerint, nec ullus reclamet. Etenim probatio hæc non reciprocatur, valet enim ratio, si sulphuris, verbi

verbi gratia, adsunt indicia, idque ex singulis sētibus comprobetur, vt scilicet & odor, & sapor, & color, & substantia pinguis, quæ tactu discernitur existat, color etiam non solum quia luteus & emicans, sed quia siquid efflorescit iunctum igni accendatur; valeat inquit ut dicamus, aquam esse sulphureā. At non contrā, si nullum horum appareat, affirmare tūc possumus nihil habere aquam sulphuris. sunt enim multæ aquæ, quæ potabilis atque simplicis naturam ostendunt, se tamen varias habere miscellas experimento probatum est: Nam aqua an simplex, atque impermixta sit, quatuor sensus dijudicant, visus, olfactus, gustus, tactus: carere enim debet colore, odore, sapore: tactu verò esse debet summè frigida humidaque nisi ab ambiente aliter alteretur: sed ita tamen humida, vt nullum lentorem, nullam pinguitudinem retineat; siue digitis, siue palato linguaque; siue quavis alia corporis parte trahetur; verū tametsi omnia hæc adsint, potest tamen qualitatem aliquam deficititiam occultare, cuius ratione amplius simplex dici non potest.

*Esse enim in Chio Insula fons legitur,*

A 3 aspe-

aspectu atque sapore satis iucundus; sed qui ex eo biberint, amentes fieri. similiter Susis Cinitate, in qua Persarum est Regnum, fontem scaturire aiunt, exiguum quidem, limpидum, ac saporis, ad sitim extinguendam, gratissimi, ex eo autem qui bibeant, dentibus omnibus priuabantur. Ad Nonacrim etiam Archadiæ infidiosam esse aquæ conditionem, ita enim blanditur aspectu ut nulla qualitate deterret, sed potu interinet. ut non dissimilis videatur venenis summo artificio apparatis, quæ morte tantum deprehenduntur. Thermarum Leutensium apud Valesios aqua limpida est, & gustui gratissima omni fætore carens, & tamen multum habet tum æris, tum cupri, vt ex eius operatione cognitum est. Tandemque multas esse nouimus aquas, quarum qualitates ex sensibus cognosci nullo paœo potuerunt. Quam ob rem qui de aquis scripsere, ad experimenta quædam nos mittunt: quibus animixtae sint cognoscamus; vt si cito calefiant & refrigerentur; si quoconque fluat, vbiunque quieterint, nullum sordis vestigium relinquit. Nam quæ ad Nonacrim est, tandem venenum ostendit; nam profluens lapides descit:

descit: & multa alias quæ nos libenter omis-  
timus. Quid? quòd neque ex his certa simi-  
plicis aquæ dignatio haberi potest: quod  
quidem nonnullis exemplis monstrarem, ni-  
si tibi vir doctissime ut digitos cognitum es-  
se intelligerem.

Hæc igitur, & multa alia, quæ silenda es-  
se duxi, cum animo volutarem, decreueram  
detractare huiusc rei scribendæ prouincias;  
sed cum videam tuum istum in me amorem  
ità in interioribus animi tui partibus infi-  
disse, ut ab ea te sententia nulla ratione de-  
pelli posse sperem: opprimi me onere officijs  
malui, quām tuam autoritatem ( quæ apud  
me semper plurimū valuit.) tibi non ob-  
temperando quadammodo paruipédere. Sed  
me in tantis angustijs id ~~quam~~ consolans,  
quòd dicturus de re, quæ omnino tuta à cō-  
trouersijs suaptè natura esse non potest, ma-  
gnūm quid perfecisse existimabor, si proba-  
biles rationes, & quæ ad veritatem proxi-  
mè accedere videantur, ea in re in medium  
adduxero. Quare rem ipsam aggrediar.

Collis est extrà Neapolitana menia, qui  
ab antiquis Lucullianum dicebatur, nunc ve-  
rgò vulgò Pizzo Falcone, æditus quidem sed

ea parte, qua Neapolim spectat viam ad illum accendentibus per facilem præbens: altera autem, quam vnde maris lambit, præceps, præruptusque est, atque accessu inuius. Hæc partim occidentem, partim meridiem spectat. Ex hac igitur parte in radice montis plures scaturiunt aquæ, atque inter alias duæ sunt sibi proximæ occidentem versus, quæ perenni fluxu in mare labuntur: quarum ea, quæ in dextera parte est, colore nitidissima visuntur, sapore accerrimo, acidulo, pingui, cum aliquanto astrictione & præter hæc aspernandum (cui nomen assignare non est) saporem possidet, & etrum odorem. Quæ in sinistra, eisdem sapore habet, sed non usque adeo intensos: differt, quod acrimonia vincitur, pinguedine vincet, in alijs nulla manifesta differentia. Differt etiam colore, hæc enim nitida multum non est, sed ad albedinem declinans, colorem quasi lacteū ostendit. Mons uniusversus ad inferiorem partem solitus est, & compagine lapidea coagmentatus non quidem viuo lapide duroque sed tophi naturam habente, quo in clementitijs operibus Neapolitani architecti utuntur. Superior montis pars ex terra constat soluta atque arida.

arida. Per illas topi scissuras erumpunt  
hæc duæ aquæ; sed quæ in sinistra montis  
parte est, quam impuriorem esse diximus,  
fontem habet, in quo nescio quid colore  
subpurpureum supernat; atque si in phialâ  
excipitur, non pauca eius copia in ea etiam  
apparet. Prior aqua & nitidior, quia fon-  
tem non habet, an aliquid in ea supernatet,  
videri nequit: verùm in vase excepta, quan-  
quam statim non videtur. si tamen aliquan-  
tis per permanferit, & ipsa in superficie ean-  
dem substantiam ostendit: fitque alteri simi-  
lis, non solum in hoc, sed in colore etiam:  
nam post certum tempus, quamquam nitidis-  
fima accepta, turbatur, & candidum colo-  
rem acquirit; quin & saporis acrimoniam  
magna ex parte amittit, pinguiorque reddi-  
tur; ita ut secundæ recens acceptæ ex toto  
similis reddatur. Nam hæc quoque in va-  
se paulatim suam vim deperdit, semperque  
priori (si paritatem temporis postquam  
accepta est statuerimus) inferior est. Præ-  
terea quos lambunt lapides, utrèque sub-  
rubro colore inficiunt, qui in substantia  
quadam residet ita dura, ut non nisi scalpel-  
lo euelli queat est verò sapore acido astrin-

gen-

gentique. Sunt & plurimi alij fontes ex eodem monte emanantes quorum nonnulli ad Septentrionem profluunt, alij ad Orientem, ut ille, qui ad Diuæ Luciæ templum erumpit, plurimis ante annis apud medicos celebriſ, ſed in hiſ nullus apparet manifestus ſapor, niſi quod modicè aſtrinkiunt. In ceteris aquæ ſimpliſi aspectu ſimiles. Extant & intrà montem puteales aquæ eiusdem qualitatis & ſaporis, cuius ſunt, quas nuper dixi. Aqua tactu æſtatis tempore ita frigida erat, ut mariſ illam particulam, in quam fluit frigidorem redigeret; autunno verò acceden-te paulatim ſumma illa frigiditas remiſſa eſt. His ita conſtituſiſ, iam ad cauſarum inuen-tionem accedam, in qua quidem re dupli-ratione ſenſus conſulere neceſſe eſt, priore quidem, ut ex illis habeamus aquam hanc mixtam, non ſimpliсem eſſe. Altera ut qua-les genus miſcellæ in ea ſit, cognoscamus a priorem verò cognitionem omnes ſenſus ſuppeditare poſſunt, præter auditum; ſecun-dam præter alios ſenſus, etiam auditus ad-iuuare ſolet; nam ſunt quaे igni admota cre-pitant, queque interram proiecta ſolidiorem ſonitum edunt, & his ſimilia: quaे differen-tias

tias inter res alioq*ui* simillimas cōstituunt. Ad priorem igitur aggredientes, dicimus aquam hanc mixtam esse, quod visus disipli ratione ostendit, & ex colore & ex substantia: ex colore quidem quia dux illē sibi proximæ, & si nitidæ, præsertimque ex his altera videantur, tamen hoc ei non perpetuò inest, sed per certum tempus: nam, ut diximus, paulo post turbantur; Ex substantia verò idem ostenditur. nam exit quidem tenuis & perspicua, sed cum turbatur, crassior fit & densior. Quod verò ad tactum pertinet, si frigiditatem spectemus, simplicem esse aquam dicemus: verūm quia cum hac, pinguitudinem quandam habet, ideo & ex tactu compositam eam esse affirmabimus. At verò si saporem, odoremque inspiciamus, statim deprehēdimus mixtionem; ex his enim nullum simplicis aquæ vestigium habemus, fædo enim constat odore, & varijs saporibus pollet, si eorum meminerimus, quæ superius diximus. Quod igitur ex omnibus signis quibus aquæ compositio cognosci potest, aqua hæc, quam ferream vocant, composita dici debeat, ex his patete potest. Verūm cuius nam naturæ compositio hæc existat, &

an cum vna re , an cum pluribus misceatur ,  
operæ pretium est dicere : quod ante quam  
dico , scire licet aquam omnem , quę suaptè  
natura nullum habet mixtionis genus , duo-  
bus imprimis modis compositam reddi posse  
aut nanque erit nominatus succus , aut no-  
men non habens . Nominatus verò aut erit ,  
qui cum suaptè natura aqua , vel igne lique-  
scat , aut humescat , iterum tamen cogi possit ;  
& huiusmodi erunt alumēn , sulphur , nitrum ,  
sal , chalcanthum , chalcitis , misy , melanteria ,  
bitumen , sory : quamuis hoc non ex toto li-  
quescat , cum lapidosum sit . Vel cum ex igne ,  
aut aliter suam naturam , qua pollent adipi-  
scantur , sola eorum qualitas in aquam im-  
mittitur , nec iterum cogi poterunt , nisi ex  
his ramenta etiam abraferit , vt est calx , ci-  
nis , gypsum , auripigmentum sandaracha : ac-  
suntò magis metalla omnia , & eorum venæ :  
vt aurum , argentum , aes , ferrum , plumbum ,  
stannum , chrysocolla , & omne lapidum ge-  
nus , vt minium ( quamquām hoc potius ar-  
genti viui minerā dixerimus ) pyrites , amian-  
tus , & alij . Similiter & terrarum , vt lem-  
nia , cimolia , ochra , rubrica , & id genus aliæ .  
Atque hi quidem nomen habentes succi sunt ,

Ca-

Carentes verò nomine multi esse poterunt,  
Tetra enim omnes saporum qualitates ha-  
bere potest, & tamen nullam ex illis, quæ  
enumerauimus earum causa erit. Potest si-  
quidem & acidus, & falsus, & acer, & ama-  
rus, & acerbus sapor in ea generari, nec  
propterea erit ab alumine, aut nitro, aut sa-  
le, aut chalcantho, aut ferro, aut aliorum,  
quæ recensuimus aliquo. Nihil enim vetat  
ob varias, quæ in terræ visceribus fiunt alte-  
rationes, hos vel illos sapores generari in-  
ea posse. Quam quidem rem qui curiosus  
inquirere velit, reuocet in memoriā huma-  
num corpus terrenum & ipsum existens: in  
quo multa genera sunt humorum; ut sanguini-  
nis, pititæ, bilis, melancholiæ, vrinæ, sudor-  
is, lactis, lachrymarum, chyli, chymi; Adde  
fæces, & lapides, & animalium varia genera,  
quæ in eo generantur, quæ vt variam sub-  
stantiam, ita & diuersum saporem retinent:  
Hæc discrepantia saporum cum in parta ter-  
reni particula reperiatur, quid mirum si in-  
tanta magnitudine terræ innumeræ videan-  
tur succorum varietates, per quarum venas  
aqua p̄currrens, earum induat qualitates?  
Aqua igitur cum expers sit omnium saporū,  
eos,

ces promptissimè excipiet , siue ex his fuerint , quæ nomen possident , siue ab alijs ; ac si quando vpus simplex sapor in ea sic permixtus , facilitiè cognoscitur , difficile cum duò sed difficillimè cum pluribus . Quòd si in saporebus percipiendis tam magna sit difficultas , quantam esse iudicabimus in re , quam sapores ostendere debent , quamque potissimum quærimus , dignoscenda ? Nihil igitur mirum sit , si tot , tamquam varias celeberrimorum virorum sententias videamus , dum Therma- rum naturam peruestigant . Nos verò summa cum attentione accurataq[ue] diligenter semel atque iterum , & sepius aquam illam degustauimus , omnesque illos , neque præterea alios sapores in ea esse tandem deprehendimus . Quòd si ità certi essemus de rebus , quas illi sapores ostendunt , nullo pacto dubitaremus omnem aquæ naturam nos invenisse . quam obrem velim mihi Paulus eum , qui de eius saporebus iudicium proferre nō vergatur , exercitatissimum in rebus per gustom comprobantis esse , ne cum eos non rectè discernat , temerè nos reprehendas ; ac reliquis sensibus sola coniectura aliunde peccata de aqua dicat sententiam . Iuuat enim non

non mediocriter ratio ad illam cognoscendam, sed sensus prius diligenter sunt explorandi. Neque enim relinquendus sensus est, nisi ex eo omnem quo ad eius fieri possit, certitudinem sis expertus. Noui enim quosdā medicos non obscuri quidem nominis, quā in re simplici degustanda de saporis qualitate discrepant, altero amarum, altero falsum in ea saporem esse contendente. Horum magnus numerus vel Galeni tempore existebat, ac per hoc videmus illum nihil ferè tam nos admonere, quam ut gustum varia sēpius degustandum in simplicibus, tū in compositis saporibus exerceamus.

Aquæ igitur, quæ à venis eorū quæ recensimus scaturiunt, vel per ea præterlabuntur, quamquam post longū à venis suis interualium erumpunt, eorū naturā, sapores ac qualitates deniq; omnes secum rapiente. In quibus quidem declarandis seruabimus hunc ordinē. Percurremus per omnes qualitates, quas hanc aquam habere diximus, quæque sensibus subiectiuntur. Simulque enumerabimus subterranea omnia, quæ easdem qualitates sortiuntur. ac tandem inductione facta insigulis qualitatibus, ratione demonstrabimus

mus, quasdam in hac aqua esse, quasdam nō esse. Incipiemos à sapore in cuius declaratio-  
ne omnia ferè alia, quæ ad cæteros sensus  
pertinent, obiter (breuitatis causa) manife-  
stabuntur, & si quæ erunt rationes, quæ ad  
sensus minimè pertineant, cum his etiam  
eas immiscebimus.

Diximus diuersos eam sortiri sapores, est  
enim valde acris, modicè verò tum acidæ,  
tum astringens, & pinguis: & præter hæc,  
saporem habet quandam abhominandum, te-  
trumque, cui nullum nomen dare possumus.  
Acria verò multa sunt, quæ aquis ea vel ero-  
dentibus, vel lambentibus suum saporem  
communicare possunt. vt sandaracha auripig-  
mentum. saxum calcarium, cadmia fossilis,  
chalcanthum, chalcitis, misy, sory, melan-  
teria, aerugo, cyaneus, lapis Armenus, chry-  
socolla, argentum viuum. Acida suntalu-  
men, ferri vena: quemadmodum pingua  
sulphur, bitumen. Astringunt verò alumén  
chalcanthum chalcitis, misy, sory, melante-  
ria, sal, ferrum, as, aerugo, cæruleus, chrysocolla,  
lapis Armenus. Aspernandum sapo-  
rem habent sulphur, bitumen, sandaracha.

Ergò cum hæc aqua acerrima sit, necessa-  
rio

tio eorum aliquod, vel plura continebit, quæ acria esse diximus. Similiter cum acida sit, & astringens, & pinguis, ea, quæ hos sapores retinent, vel aliqua, vel omnia habeat, necesse est: sed quo res clarior sit, proponam primò conclusiones, veritatemque rei, quam existimo; deinde rationes adducam, quibus mea sententia comprobetur; idque ex saporibus de quibus loqui cœpi, non omittens colorem, & odorem; & si quæ alia sunt, vnde peti indicia possint. Sit igitur hæc conclusio, quam veram indubitate tamque esse credimus; Aquam hanc nō vnius mineræ naturam sor- tiri, sed plurium; Est enim ferrea, sulphurea; & calcis cinerisque particeps plus calcis, &c. cineris, quam ferri, rursusque plus ferri, quam sulphuris; ita ut predominet in ea calx, & cinis: minima portio sulphuri, media ferro tribuenda sit.

Hoc verò sic probo ex saporibus, percur- rendo per omnia, quæ eundem saporem pos- sident: nam cum acria sint multa (ut retuli- mus) quod chalcanthum esse nequeat acri- moniæ causa, in hac aqua, extat nō leuis quidem ratio: simul enim cum multa acrimo- nia multam habet astrictionem; quare debe-

ret in illa aqua validissima esse astrictione, cum potentissimam habeat acrimoniam. Nec est quod dicas leuem in ea inesse astrictionem ob modicam chalcanthi portionem; nam si modica eius permisceretur pars, ita acris esse nullo pacto posset; Et cum duo illi sapores, acer scilicet, & astringens valentissimi insint in chalcantho, perinde ut eius moles fuerit; ita uterque sapor plus aut minus vigebit. Neque enim exigua eius pars unum saporem debilem ostendere posset, alterum valde firmum, sed quemque utrumque vel augabit, vel minuet. At diximus aquam illam multam possidere acrimoniam, modicam astrictionem. Eadem ratio valebit in misy, sory, melanteria que, & chalciti: cum haec omnia eiusdem ferè naturæ, & saporis existant, differantque solum maiori, minorique partium tenuitate. Adde quod melanteria ita nitidam non redderet aquam, sed liuore aliquo aspersam, quemadmodum & sory: utraque enim nigra est. chalcitis vero cum aeris colorem habeat, & misy auri, aquam inficerent aliquo pacto his coloribus. Quod vel ex hoc confirmabitur, quia haec omnia eius sunt naturæ, ut in aqua dissoluantur, & cum aqua ita

itâ vnianteur, & permisceantur, vt non nisi  
per ignem euaporata aqua, iterum cogi pos-  
sint ; nec solùm eorum qualitas aquæ com-  
municatur, vt sit in ferro, cæterisque durio-  
ribus metallis, sed & substantia ipsa : qua-  
obrem non solùm sapores, sed etiam colo-  
res ( si præfertim multa eorū portio in aqua  
permisceatur) apparere deberent. Hi autem  
in his omnibus magna ex parte nigri sunt,  
cum aqua liquefcunt, sui autem coloris, cum  
ramenta integra aquis miscentur. Sed sory,  
& melanteria non solùm quia nigrum habent  
compaginem, sed etiam quia suaptè natura-  
lrum colorem aquis impertiunt (vt sunt om-  
nia quæ vehementer astringunt) immutare  
suis coloribus aquam deberent. Nam & atra-  
mentum ipsum futurum migrat, eadem ra-  
tione, solitum est aquas reddere ; non nun-  
quam etiam virides, & candidas, sui nempè  
coloris, efficit, est enim eius vna species can-  
didi coloris ; quanquam hæc ratio in sory,  
non nisi in parte valeat, quia non vniuersum  
aqua liquefcit, nimirum quòd lapidosus sit.

Eadem ferè ratione probabitur nec auripigmentum esse, nec sandaracham ; primùm  
quidem quia cum maxima acritonia utrunc-

B 2 que

que non instrenuè astringit; vnde maior debet esse in aqua astringendi vis: Deinde quia non mediocrem aquis impertire solent amaritudinem; insuper quod aurei coloris cum sit auripigmentum, rufa verò, aut cinnabaris colore sandaracha, aquam hisde coloribus, aliqua ex parte tingerent. Quod si dicas posse non nunquam aliqua horum in aqua esse, & tamen nullum ex colore apparet indicium; quia nimirum ita tenuia ramenta cum ea misceantur, ut sensum lateant; dicam hoc quidem verum esse; quia multa huius rei sunt in mundo balneorum exempla: sed saltem id quod post destillationem, aut decoctionem residet, eorum colores representare deberent. Sunt enim hæc crassarum partium fossilia, nec ex eorum numero, quæ in tonues exhalationes evanescant tota. Hoc verò in aqua hac non videmus; sed candido colore spectatur crassior illa pars, ut mox dicemus. Præterea ex facultate hoc ita esse facile cognoscetur: neque enim tam multam aquæ quantitatem humanum corpus citra summam noxiam, perferrere posset, si adeo vrens, & causticum medicamentum in ea iugesset; nam fuere, qui sex libras, & eo amplius,

plius, cius aquæ singulis diebus, per plures dies potauerint, nulla habita insigni læsione: Et quamvis Dioscorides intrò propinet sandaracham cum resina, in catapotio; & ex mulso ad quosdam affectus; tamen modica cius debet esse quantitas, nec nisi cum multa cautione propinanda. Nam in Aegypto aiunt Aquam esse, quam qui potauerint homines, calui fiunt. Aliamque in Gadaride, quam si pecora biberint, amittunt pilos, vngues, & cornua. Hos verò effectus non nisi ab auripigmento, aut sandaraeha prouenire quidam volunt; talesque esse illarum aquarum fodinas.

Sed quòd nec erugo, nec cyaneus, aut chrysocolla, aut lapis Armenus huiusmodi saporem aquæ præbeat, color satis ostendit præsertimque in ærugine: fieri enim non posset, quia viridis, aut cœrulea, aut ex his coloribus mixta aqua cerneretur; Ac multò magis hoc idem excludit argentum viuum; quando constat cum eo semper minium ( ut quod eius est minera ) esse; hoc autem ut quodvis aliud rubicundi est coloris, & fragile; ità ut facillimè aquas tingat. Nam & hoc, sicuti & alia, quæ nuper diximus, vel

gicoribus ipsis idcirco in usu sunt frequenter. Facultates verò horum omnium nec latere possent ; omnes enim hellebore albi ferè more vomitum vehementissimè cident, simulque dejectionem insignem moliuntur, nec sine vita discrimine assumuntur, nisi quam diligentissimè apparentur, & eorum statutus modus assumatur ; quod de tribus his lapidum generibus intelligendum est, non etiam de æragine ; illa enim non nisi perniciem affert, utcumque accepta. Sed quamvis aqua hæc nonnullis vomitum concitauerit ; tamen hi tam pauci fuerunt, ut propterea his fossilibus, hoc tribuendum esse non videatur : quippe quæ omnibus perpetuò illum effectum ostendant. Præterea illa non solum quæ in stomacho sunt, sed atrum humorem à remotioribus corporis partibus vehementissimè trahentia, per os tandem emittunt. Hec verò vix ea, quæ in ventriculo erant, educebat ; immò quandoque pura, ut assumpta fuerat, vomebatur, ut tribuendum hoc sit, non tam ejus vi, quam terro immanique saporis, qui nauseam mouet.

**Quod igitur remanet, nisi ut dicamus vel cal-**

calcem esse, vel cadmiam fossilem acrimoniæ causam? Verum cadmia fossilis inter cines res reponitur, è quorum genere calx est. Nolo enim nunc differentiam muleam constituerre inter cinerem, & calcem. Nam quamuis calx, propria acceptione, non ex quo quis lapide fiat, sed ex sola petra, per quam intellegimus lapidum durissimam, ut Heraclidis Tarentini fuit opinio. Galenus tamen calcem esse cineris quandam speciem dicere nō dubitauit, sed eò tenuioris essentiæ, quamvis, qui ex lignis fit, quanto lapides exactius torri postulant, ut cinis sicut. Et quamuis etiam cinis propriè combustorum lignorum reliquiae nuncupentur; tamen Galenus omnia ferè ad extremam, exactamque combustionem redacta, cineris nomine dicitur. Nam animalium combustorum reliquias cinerem appellat: In multis enim medicamentis vel ranarum, vel mustelæ, vel hirundinum vestrum cinerem immiscet; quin & ipsarum hirundinum pidos in cinerem redactos accipit: ac propterea cum de lixiuio loquitur, inquit à Latinis cinerem appellari combustorum corporum reliquias; siue natura sint lapidea, siue arborum, animaliumue particulae. Sed

B 4 quod

quod magis mirum cuiquam videri poterit, coclearum vstarum fragmenta cinerem appellat; ex ijsdem verò vstis calcem viuam fieri Dioscorides docet; quasi nulla interficit differentia inter calcem, & cinerem. Nos igitur summos hosce viros imitantes, confundemus cinerem cum calce: ac quicquid de uno dicemus, de altero intelligi volumus. Nam si oportuerit aliquam inter haec dare differentiam; illam non omittemus. Id autem idcirco facimus, quod materia, quam abradere aquam hanc credimus, neque verus cinis est, & fortasse etiam nec vera calx. Non enim vsta ligna in montis illius cauenias esse coniijcimus; nec etiam durissimorum lapidum vestigia apparent; quamquam hoc ( ut nunc quidem est ) non est ita liberè negandum, vt illud: quando nihil vetat, quo minus durissimi extent in terræ visceribus lapides, qui exusti in calcem convertantur. Sed de cinere propriè accepto hoc euenire nullo pacto posset; quia ligna ( si quæ casu aliquo ibi occultarentur) semel combusta, perennem aquæ qualitatem impertire non possent; sed breui eorum cinis absumeretur.

Concludimus igitur calcem, vel cinerem  
acri-

acrimoniæ causam esse in hac aqua; ita ut  
quoddam sit, veluti naturale lixiuum in  
terræ concavitatibus factum. Sed dubitare  
hac in re licet; num quæ rationes probabunt  
sandaracham non esse in hac aqua; exdem  
& calcem excludent. Dioscorides enim li-  
bro 6. calci, sandarachæ, & auripigmento  
eamdem vim tribuere videtur: quia his tri-  
bus simileadem remedia proponit. Igitur si  
idcirco nos sandaracham, & auripigmentum  
ab hac aqua reiecamus, quod eius multo po-  
tu pernicies hominis sequeretur, eadē quip-  
pe ratione idem de calce dici poterit.

Sed dicimus idem remedium, non eundem  
caliditatis gradum necessariò denotare in  
diuersis simplicibus; tam & si eandem cali-  
ditatem commonstret. Adarentium enim  
pharmacorum ampla latitudo est, in maioris,  
minorisq; exuperantia: à quibus, post quam  
pro singulorum potentia vlcus excitatum sit,  
siue illud magnum sit, siue paruum, potest  
idem remedij genus exposcere, quod qui-  
dem in duobus his clarissimè videri potest;  
siquidem calx multò minus calida est, quam  
auripigmentum, aut sandaracha; vt Gale-  
nus docet IV, simplicium. Arsenicum enim,  
quod

quod idem cum auripigmento est, ferro ignito in caliditate comparat, nempe ex valde crassis partibus constans: subtiliorem verò esse calcis substantiam scribit. In arsenico etiàm non solum caliditatis immoderantia, sed nescio quid à totius substantiae proprietate, corpori humano inimicum obseruauit Galenus. vnde libro 5. simplicium, inter eius generis septica medicamenta recenset arsenicum; quæ cum aconito similem habent facultatem. Accedit ad hoc, quod neque vera calx huic aquæ vim suam impertit, sed fragilis lapidis cinis potius est, qui à vera calce multum caliditate relinquitur: atque hoc saltem est pro maiori eius portione: sed inferius id longè clarius patebit. Cæterum quò calx acerrima sit, qui gustu probare non fuerit, fat sibi fuerit; præter Dioscoridem, Galeni autoritas; qui nos admonet, ut acridinis experimentum ab ea sumamus. Confirmat non obscurè nostram sententiam recrementum, quod ex destillatione illius aquæ remansit: Candidum enim est, nullius acrimoniae, sed quandoque insipidi saporis, quem Græci à ~~nos~~ vocant; veluti omnes terre esse solent, vnde & hoc vim habet empl-

plasticam, quæ desiccare absque morsu potest: cuius naturæ esse calxem, & multa alia perfectè abluta Galenus autor est: Sed quia sæpius falsus nitrosusque sapor apparuit in hoc recremento, an dicemus sale, vel nitro illam participare? Dicimus ad hoc falsum saporem & ipsum cineris calcisue esse certissimum indicium. quarè euenire hoc ex cineris natura credendum est; quippe qui & falsus est; nec immerito à nonnullis, qui de balneis scripsere, niterum, & cinis naturam salis sapere dicuntur. Nam & Aristoteles in problematum libro inquit, aquam per cinerem falsam, & amaram fieri: exustorum etiam omnium cinerem falsum esse. Quin & libro secundo Meteorum, idem Aristoteles in Umbbris locum esse tradidit, in quo nascuntur calamus, & scirpus; quorum combustorum cinerem in aqua decoquunt, ex qua tandem in frigidata salis fit multitudo, & Auicenna, in prima primi, aquam in qua cinis, vel calx macerata fuerit, falsam esse dicit; atque in summa, quia falsediniis causa sunt terræ partes adiusta humiditati admixtæ, ubique fuerit adiustio, falsedo sit, neccesse est. Hanc rem Pontanus libro suo

Mc-

Meteorum hisce versibus expressit:

Hinc etiam falsum fontes traxere saporem:

Et latice longè ingratis infecit amarot,  
Tellure incocta exudans, cinerique ma-  
ligno:

Quem liquit quondam accensis fornaci-  
bus ignis.

Post aeo extictus longo monumenta re-  
linquit

Exustum cinerem, & cocto sola subdita  
saxo.

Hinc alibi exhaustos antris puscalibus  
ammes.

Vulcano feruente coquunt, dum crassior  
humor

Stringitur, inque salem tepida cesseret  
lacuna.

Hinc alumena catini dictum, vnde vitrum  
sit quod cinis est herbae Kalii, siue usque ab  
Arabibus dicata, non solum salsum habet sa-  
porem, sed dum in vitrum purgatur, salem  
purissimum, validissimi saporis generat, quod  
sal alkali dicunt. Dupli igitur pollebunt  
sapore calx & cinis; aeri scilicet, & salso;  
quamuis acreditis vis maior in eis insit. Neq;  
est

est quòd dicas recrementum illud cineris colorem non referre, cum candidissimum sit; quia potest esse calx duri lapidis, quæ candore ne niui quidem cedit. Sed quia hoc non credidimus; dicimus cinerem cuiuscunque rei candidum esse, dum modò cum carbonaceis rebus ( vt Aristotelis verbis ytar) non permisceatur.

Cæterùm quia de cadmia mentionem fecimus, quam inter cineris species collocauimus; ne dubitandi ansa lectori relinquatur, scire licet triplicem à Galeno constitui cadmiam; alteram in fornace, dum æs perficitur, alteram ex combusto pyrite lapide, tertiam fossilem, absque fornace; quam lapidem potius esse dicit, atque in Cypri metallis inueniri, in monte, qui Solis incubuit. Nonnulli fossiliis duo genera ponunt, vnum metalli exp̄rs, alterum metalli fertile. Quæ tria Dioscorides etiam proponit; quamquam tertium genus, quod Galenus lapidosam cadmiam appellat, inueniri quidem in lapidum fodinis confirmat; sed inter cadmiæ genera recensendum esse negat: quia multis a cadmia discernitur argumentis. Verùm hoc siue ita sit, siue non, nunc decernere locus nō est;

30. *Bartholomeus Maranta*

est; sed sat fuerit scire à Galeno hoc tertium genus non solum acceptari, sed ab eo ipso fuisse in Solis collectum: cuius magnam etiam copiam in Asiam, Italiamque portauit ad amicos, à quibus summam iniit gratiam, quod se, vel maximum munus accepisse faterentur: hanc etiam omni alia cadmia multò præstantiorem esse: Sed alia fortasse est, de qua loquitur Dioscorides, cum in lapidum fodinis inueniri cradat; Galenus, verò in metallis. Ex hac propter occulta terræ incendia, combusta fieri spodium, pompholygemque subterraneam obseruatum est. Esse verò omnia hæc ita acris naturæ, ut vdas operariorum manus ac pedes exedant. Hanc igitur lapidosam cadmiam vel spodium in illo monte generari, nullum erit absurdum: quandò non solum in metallorum fodinis inueniatur, ac præsertim in ærariis argenteisque, sed etiam proprias habeat venas. Quod si negatur hanc in eo monte reperiri quia ex ea fieri soleat æs, & argētum, inibi verò nullum horum metallorum vestigium appareat, sed tantummodò ferri; saltem nullum fuerit inconveniens illum lapidem in eo reperiri, quem inter cadmia genera nō putauit. Diocles scor-

scorides recensendum esse: nam & apud Cuma-  
mas ( qui locus in eodem tractu proximus  
est) hunc lapidem inueniri tradit: qui quan-  
quam crudus nullam sui vim ostendit, exu-  
stus tamen tenuiorum fit partium, & fuligi-  
nosam, acremque acquirit substantiam.

Sed nolo silentio præterire plura lapidum  
genera durissima in hoc monte reperiri nigri  
coloris , & magnum pondus habentia; cum  
cruda sunt . Nam cocti etiam lapides aliqui  
eiusdem, vt puto , generis , inibi reperiun-  
tur : Omnes autem intercursantes habent  
quasdam veluti crustas oblongas nitedulæ  
modo splendentes, colore stibij . Sed qui co-  
cti sunt lapides, ac per hoc leuiores, non me-  
diocrem nobis suspicionem intrulerunt, vt  
crederemus eos cadmiam ~~esse metallicam~~ ;  
multa enim in illis reperiuntur signa , qui-  
bus veram cadmiam à falsa · Dioscorides di-  
scernit . Siquidem commanducati esum non  
respiunt, & falso sapore, licet remisso, sunt  
prædicti : Igni etiam appositi non profiliunt,  
sed quieti permanent: Prætereaque nulla co-  
loris facta permutatione ex igne exrahur-  
tur . quin & idem ferè pondus retinent . Sed  
quod magis ad hoc credendum nos inducit  
est,

est, quia cremati bulliunt, ferrei stercoris modo: quam notam genuinæ cadmiae Diocorides tribuit: Illos enim ego cum non nullis ostenderem, quanquam in metallicorum cognitione exercitatissimis scoriam aliquius metalli existimabant, ut ne me negante quidem ab ea opinione deducerentur, nisi manibus illi ipsi fecissent periculum: bulle enim illæ digitiis facile teruntur in puluerem. Verum cum mihi fossilem cadmiam metallicam nusquam videre contigerit, hanc rem tuto affirmare non audeo; volui tamen hoc literis prodere; ut huius rei veritatis perquendæ ansam peritioribus præberem: vtq; instructiores at huc locum visendum accedant. Nonnullos igitur ex his lapidibus ita percoctis lambi ab illa aqua, nulli dubium fuerit, à quibus acrem vim accipit; licet major portio sit ob cinerem & phosphos lapidis, cuius saepius fecimus mentionem. Verum siue cadmia haec fossilis sit, siue cinis, aut calx acrimoniaræ causa in hac aqua nihil quantum ad rem ipsam pertinet, retulerit: cum eandem ferè naturam ac vim sortiantur; atque hanc ob causam diutius in hoc immorandum non est. Nam si que in his consideratio facien-

cienda sit , dicetur inferius, cum aquæ tem-  
peramentum, & facultates proponemus .

Est & huius aquæ aliis sapor astricatio  
modica , & aliis etiam mediocris aciditas ,  
vtrumque verò saporem à ferri vena (quam  
in hac aqua esse indubitanter credimus) fieri  
dicimus . Sed probemus primò posse fer-  
rum horum saporum esse causam , deinde  
quòd ferrum sit , ostendamus . Sed quòd  
ferrum astringat, nulla ferè indiget declara-  
tione , cum quotidiano experimento, non  
solum ab his, qui thermarum naturam con-  
scripsere, sed à medicis ipsis in multis me-  
dicaminum admotionibus obseruatum est :  
candens enim ferrum in aqua , vel in vino  
sæpius restinguunt , vt eius potu cœliacos ,  
dysentericos , cholera laborantes, & disso-  
lutos stomacho adiuuent , & alios multos  
affectus remoueant, qui astrictione indigent.  
Quòd verò aciditas etiam à ferro prouenire  
possit, nolo nunc multis rationibus demon-  
strare : sed solum id, quod in Ilua Insula ad  
mare Hetruscum à multis obseruatum est ,  
in medium afferam. De his enim & ipse eitā  
testimonium dicere possum . Nam cum In-  
sula longitudo ab oriente ad occasum sit, la-

situdo ab septentrione ad meridiem ; in ea parte, quæ septentrionem spectat, ferri minera effoditur : in qua cum multæ , variæq; terrarum species efflorescant, omnes acidū habent saporem: his verò à fossoribus varia sunt indita nomina : nam blanchettam vocant eam , quæ inuenitur in ferri glebis, vt creta mollis, colore candido; est & alia rubri coloris, bolus ab ijsdem dicta ; sicuti & alia est saturior inter commissuras glebarum oriens dura, & sicca ; quam sinopiam ( quasi sinopim dicere velint ) appellant ; cum qua connectitur non raro alia flauum habens colorē , Ochria ab illis corruptè dicta , pro Ochra ; quæ eadem cum rubrica est, sed imperfectior . Omnes hæ testæ ( vt dixi) acidum , & astringentem habent saporem ; & quo recentiores fuerint, eo intensiorem aciditatem præferunt : cum enim exiccantur , temporis diuturnitate ( quia scilicet tenuiores partes, in quibus acidus sapor sustentatur , expirant ) magna ex parte deperditur ; solaque astricō ei remanet intensa . Hanç rubricam nonnulli ferri rubiginem esse estimant: sed hoc an ita sit determinare nunc locus non est . Ex his igitur cognoscimus ferri

ferri mineram, siue ea, quæ cùm ferro nasci  
confuerunt, acidum, & astringentem sa-  
porem reginere. Ex illo verò loco in eadem  
Insula cum versus occasum itur, quingen-  
torum ferè passuum distantia rupis iacet al-  
tissima, in qua pyritis ærosi vena satis longo  
spatio visitur; per quam riuuli multi fluunt;  
quorum aquæ adeò acidæ, & astringentes  
sunt, ut si aliquantisper in ore detineantur,  
dentium gingiuarumque <sup>habet</sup> emodian inducantur.  
quæ, quo magis fuerint venæ proxime, eo <sup>vener.</sup>  
intensiores hosce sapores ostendunt; quæ  
enim à venis remotiores sunt, paulatim im-  
becilliores conspicuntur. Hi sapores. siue à  
pyrite per se oriantur, siue inquantum fer-  
rum includit (quando in hac Insula nihil  
præter ferrum, & pyriten est) dijudicare  
difficile est: vt cunque tamen fit, à ferri ve-  
na acidum, astringentemque saporem profi-  
cisci clarissimum est. Horum verò rationes  
quæ optauerint, legant eos, qui de metalli-  
corum ortu, ac natura conscribunt.

At verò quòd in aqua hac, cuius naturā  
inuestigamus, astringens, acidusque sapor  
ex ferro proueniat, non ex alijs, quæ ijsdem  
saporibus pollent, multa sunt indicia. Alu-

men enim esse non potest; nam quamuis acidum sit, tamen cum modica aciditate vehementem habet astrictionem, vnde perceptibilis aciditas ex alumine sine insigni astrictione esse non posset; quia verò in illa aqua leuem inesse astrictionem diximus, necesse esset minimam aluminis partem in ea permisceri: at cum minima eius quantitate nullo pacto is sapor sese ostenderet, qui in multa etiam mole exiguis est. Remanet igitur (quantum ad aciditatem pertinet) ut ex solo ferro eam fieri dicamus; quia nullum aliud fossilis genus eam fortiti videtur. Nisi velimus dicere innominatum succum in terragni, qui aciditatis causa sit. Posse enim in terra omnes saporum species generari, ab alijs, quæ nomen habent, succis, & metallis, diuersas, in superioribus probauimus. Sed hoc quamuis esse posse non negemus; tamen cum habeamus ex nominatis rebus fossilibus aliquid, quod illius causam dicere possumus, stultum erit ad innominatas res confugere. Hanc rem confirmant multa ferri indicia manifestissima: canalis enim, per quem aqua fluit, rubrica illa duriore inficitur; quā in Ilua Insula, in ferri fodiñis nascidiximus  
quæ

quæ lapidibus ita adhæret, ut vix ferreo mal-  
leo euellatur; estque sapore acido, & astrin-  
gente; cuius rei tu ipse conscius etiam es,  
Paule doctissime: quippe qui mecum illam  
& vidisti, & degustasti. Glebæ præterea in  
hoc monte effodiuntur duræ, & ferreis qui-  
busdam punctis maculatæ; quæ si in terram  
projiciantur ( prius tamen exustæ, ut soluta  
terra discutiatur) sonitum metallo similem  
æduint. Idem verò color in omnibus ferè  
balneis videtur, quorum minera ferrum ha-  
bet; ut in Caldarianis in agro Veronensi: in  
quorum arena rubigo est, & lapides rubige-  
ne infecti. Est præterea ad littus in montis  
radice arena, nigri, & pellucidi coloris, ei ex  
toto similis, quam ex Prochyta Insula.  
Neapolim comportant, & venalem habent,  
ut literis recens scriptis inspergatur; quaq;  
omnes ferè Neapolitani vtuntur; quæ nihil  
aliud est, nisi ferrum ærosum. Cuius rei cer-  
tissimum vidimus experimentum, si quidem  
à magnete mira celeritate attrahitur; ut hoc  
vnum sufficiat ad demonstrandum in hac aqua  
ferrum esse. Vnde etiam credendum est, pro-  
que certo habendum, in Prochyta etiam In-  
sula ferri extare venas; cum & illam etiam

ærenulam magnes trahat. Quamobrem non  
absq; ratione vel à vulgaribus aquam hanc  
vocitari ferream credendum est: hoc enim  
indicat aliquot ante annis eius inualuisse  
vium; atque ob id, cognita eius minera, per  
manus successionemque ad nostra vsque  
tempora seruatum esse nomen. Remaneat  
substantiam illam suppурureo colore, quam  
fonti supernatare diximus, quæque etiam  
in vase videbatur, quid sit, quærere. Illam,  
autem ex ferri ramentis constare non leui  
quidem coniectura primùm credebamus; ra-  
mentis inquam, non quidem durioribus,  
sed ex his, quæ eius innata humiditas, quan-  
tulacunque fuerit, gignere potest; dum à  
tetræ colore exprimitur, & ad superficiem  
deponitur, quam aqua abluens secum rape-  
ret. Similem enim substantiam habere so-  
let supernatantem aqua, in qua fabri ferra-  
rij sæpius ferrum extingunt. Sed cum rem  
omnem diligentius expenderem, cognoui  
tandem id aliter habere; nam in pumicum,  
quos ibi inuenimus, concavitibus quædā  
videntur purpurascentes tam tenues, &  
perspicuæ. ut aquæ ampullas ex toto æmulē-  
tur. Hæ quidem ab aqua præterlabente ra-  
piun-

piuntur : rem enim nos ita comprobauimus. Pumices accepimus , in quibus multæ inef-  
fent bullæ, & aqua macerauimus, statimque  
aëreæ illæ partes super aqua visæ sunt, nihil  
ab illis , quæ in fonte sunt , substantia, aut  
colore euariantes . Neque enim dicendum  
est esse bitumen , quia non in rotas , vel  
circulos , veluti oleosa omnia , præsertimq;  
ipsum bitumen , conglobatur . Adde quod  
igni iniecta non ardet , nec in aquis proximi  
maris aliquid , vel liquidi , vel concreti bitu-  
minis apparet . Ex distillatione enim citræ  
ignis adminiculum facta relicta est illa pars  
in vasis fundo squamas piscium quodammodo  
æmulans ; quæ quiduis aliud , quam bi-  
tumen ostendit ; quod ex facultate etiam  
cognoscitur . Caput enim mirum in modum  
bitumen lædit , si intus assumatur : quod vel  
ex hoc cognosci potest , quia olfactu comi-  
tiale morbum deprehendit ; ut Dioscori-  
des tradit ; vnde bituminosam esse aquam  
fontis rubri in Aethiopia, nonnulli dixerunt,  
ex eius effectu ; quia scilicet furiosos red-  
dit bibentes . Huiusmodi etiam esse Lynce-  
stium amnem existimarunt , qui vini more  
iacébriat . Iama verò cum non modica sit cius

rei, quæ supernatat pars, sed quantitate sa-  
tis conspicua, læsisset procul dubio aliqua  
ex parte mentem eorum, qui eius aquę mul-  
tam ( ut quam plurimi fuere ) copiam hau-  
serunt. Sed quod nam quæso certius indi-  
cium si carbonibus, atque flagranti igni, inie-  
cta non accenditur? hoc enim ita est bitumi-  
nis proprium, vt id solūm vt cumque latens  
illud manifestare possit. Atque hac etiam  
ratione pinguem saporem, qui est etiam in  
hac aqua, nec à bitumine esse dicendum est:  
nec fætidum, aspernandumque tum saporem,  
tum etiam odorem: sed potius sulphuri tri-  
buendum est. Nam quòd sandaracha nul-  
lam impertiat vim in illa aqua ( quæ & ipsa  
est sapore, & odore teterrimo ) superius de-  
monstratum est. Sulphuri autem tribuen-  
dum hoc esse, in primis illud ostendit, quòd  
eius pars pinguis permiscetur cū aqua, ita  
vt pinguem in vniuersa eius substantia illam-  
reddat. Nos enim in sulphureis locis agri  
Puteolani oleum ex sulphure inuenimus,  
quod nullo ignis artificio extraximus: co-  
lor illi luteus, atque olei instar manibus  
adhærescit; sed in aqua nullo pacto supersta-  
re potest; sed statim subsidet. Quod verò  
ignis

ignis vi à chimistis fieri solet, alterius est naturæ; nec comparandum est cum eo, quod in aquis sulphuratis inueniri solet. At bitumen ut plurimum aquis supernatat; ac tunc solum sulphuris more permiscetur, cum multa eius portio in aquis extat; & hæ assiduè bulliunt. Feruor enim turbare in aquis solet omnia, quæ alioqui separata existent. Sed ne sic quidem totum commiscetur, nàm aliquid etiam semper in aquæ superficie apparet. Quod si quandoque contingat, ut nihil supernatet, saltem immissa manu, vel si quis totus in eiusmodi aqua abluitur, adhærescit corpori pinguedo, quodam modo ab aquis ratione corporis separata. Huiusmodi est flumen Liparis. *in* hoc enim natantes oleo vngti esse videntur: hoc autem ideo sit, quia excipit bituminosæ fontis aquas in Cilicia iuxta Solos: Sed in sulphureis aquis, quamquam multo sulphure abundantibus, hoc non cernitur; quod saepius in Puteolanis, Baianisq; balneis (quæ magna ex parte sulphur habent non modicum) obseruatum est.

Sed vt ad aquæ astrictionem, / de qua loquebar) redeam; dico ex ferri qualitate eam inesse;

inesse; quod iam probatum est , cum ostendim in aqua ferrum esse, sed dubium in hac re esse posset , an ex solo ferro proueniat, an cum ferro alia res sit eius causa : sed dicendum est nullam aliam rem præter ferrum illam gignere ; quod ratio non leuis persuadet . Ita enim remissa esse neutiquam posset astriction , si quod vis aliud ex ferro prouenientem astrictionem vel minima ex parte intenderet; quarè neque æs, neque plumbū, nec aliud metallum , cum ea adiungi potest, ac multò minus,neque alumen, aut chalcantum, aut chalcitis, & his cognata: hæc enim vel ex modica eorum mole insignem astrictionem præferunt . Valebunt prætereà ad hoc confirmandum rationes , quas superius adduximus, cum hæc eadem acrimoniae causam non esse probauimus . Quòd si libeat addere facultates plumbi, æris, auri, argenti , stibij , & si alia id genus sunt, ex his nullum esse facile comperies ; his enim , qui hæc fossilia biberint , aut in his se abluerint, nerui indurantur, tendunturque, pedes prætereà inflantur,ac vitiosi redduntur; omnesq; articuli crassis humoribus replentur .

Huiusmodi sunt in Trozene aquæ; quarū cul-

culpa omnium pedes vitiâ sentiunt: ex quo effectu docti viri metallicas esse iure coniecati sunt. Sed ex huius aquæ potu nullum ex his incommodum visum est; quin potius podagricos sanatos ex ea esse nonnulli testati sunt. Quid multa? si ferrum in aqua esse, non ex sola astrictione coniçimus; sed multa alia indicia attulimus, cur nunc ex sola astrictione hæc omnia, vel ex his aliqua, in hac aqua esse inferemus? Eademque ratio valebit etiam in omnibus, quæ astringere possunt, siue sint metalla, siue lapides, siue sucçi: nam quod gypsum esse non possit, non solum eius vehementissimâ astrictione testari potest, sed venenata eius qualitas, qua alligat viscera, & strangulationis more iugular. Præterea quod neque ex terris aliqua, color ostendit; omnes enim terræ aliquo colore imbutæ sunt; quem aquis, quibus cum admiscerentur, communicant: ut terra lemnia, & bolus armenus rubicundum, aut pallentem colorem aquis impertiunt: quod nemo non in glebis, quæ circumferuntur, expertus est. Vnde si ab his proteniret astrictione & his coloribus infectam esse aquam necesse esset. Sic, & si esset ochra, luteus esset eius color.

vt in Ochra fluuio Saxoniae cernitur, ideo sic dicto. Præterea per decoctionem absumpta aqua, quod residet in vasis fundo, & hos colores habere deberet: sicuti & atramenti sustorij, & aliorum, quæ paulo ante recensuimus, non solùm colores, sed etiam compaginem, & sapores; quorum nihil videmus. Aluminis enim astrictionem, cum concreuit; non solùm lingua, sed dentes etiam, ginguæque sentiunt: vt quæ ex eo stuporem perpetiantur: ita & chalcanthi, & melanteriæ, & cognatorum astrictione peculiares gustui relinquunt notas: gustus enim non solùm astrictionem, sed chalcanthi astrictionem, aliorumque, quæ enumerauimus, percipit, & discernit. At recrementum illius aquæ saporem ostendit terre ablutæ, vt omnia, quæ emplasticam vim habere solent. Eadem fere rationes concludent, quod nec cyaneus, nec chrysocolla, nec ærugo fossilis, nec lapis Armenus astringendi vim ei administrat. Huc etiam transferre licet quicquid de his superius, cum de acri sapore loqueremur, diximus. Nec est quod ex durioribus lapidibus astrictionem queramus, vt sunt Iudaicus, Albastriæ, & consimiles; hi enim

nil

nil nisi cruditatem aquæ impertiunt, saporem autem eius non immutant: vnde aquæ his infectæ, nulla in re à simplicibus discernuntur, nisi ex effectu: quod scilicet tardè permeant, & ponderosiores fiunt.

At verò cum minimam partem sulphuri tribuerimus in hac aqua, quoniam pâco sulphur in ea insit, dicere necessarium habeo; non enim ut aliarum minerarum qualitates lambendo, vel ærodendo, hæc aqua ad se trahit; ità & sulphuris; sed puto tantummodo vapores ex profundioribus terræ partibus eleuari, sulphuris planè accénsi: quod ad loca vnde pertransit aqua perueniens, illam sua exhalatione inficiat. Quod ut probemus paulò altius repetenda res est. Atque hoc etiam ideo fiet, quod ex hac declaratio- ne omnium ferè, quæ huc usque diximus, rationes liquidò apparebunt: & si quæ etiam problemata sciri in hac re optentur, ferè omnia dissoluentur.

Mons iste in ea parte, quæ ad occasum, & meridiem spectat, aridissimus (vt idiximus) est: atque ità aridus, vt nullum herbarum genus in hac duntaxat parte oriatur: est præcereà cauernosus; terra eius soluta; & si qui lapi-

lapides effodiuntur, levissimi pumicosi; quin & pumices ipsi veri sunt; inter quos reperi ego multos, qui pumices ariditate multum præcellebant: nam prærer id quod facilius abrumpebantur, quandam etiam amianti lapidis videbatur speciem referre: erant enim capillamenta quædam, quæ lapides intercur-sabant, ut diceret latere in illis amiantum. Sunt præterea glebae quædam pumicosæ in quibus nigra puncta collucent, quæ facilè se-parari à glebis possunt: sed præter puncta, bractæ, sive laminæ exiguae quidem, sed translucientes nigro colore conspicuntur, quæ magnetis lapis esse videntur; non ille, qui ferrum trahit, sed qui sic à Theophrasto dicitur, & à vulgaribus Talco. Vtrunq; verò lapidis genus, amiantus scilicet, & magnetis igni comburi nequeunt ob intensam siccitatem, quæ in eius superficie est; ut nihil sit, quod pabulum igni suppeditet: humor verò, qui eos vnit, ac continuos reddit, vel quia intus lateat, vel quod tantam vim habeat, ut ignem vincere possit, & ipse neque ab igne pertingitur. Vterque igitur lapis summam omnium retinet ariditatem; quæ non nisi ex vi ignis fieri potest: quæ interio-rem

rem humorem cogit, ità ut tandem ab eo  
vincatur. Nos certè nigras illas lami nulas  
igni admouimus, nec ullam ab eo iniuriam  
percessæ sunt: ut crederemus ferè esse illum  
magnetem, vel saltem rem ei natura similem,  
cuius materia ferrum proculdubio est, sed  
vi caloris paulatim exiccatum, in illam spe-  
ciem transit: nam glebæ illæ satis apertè ostē-  
dunt ferri venam, ut superius manifestauim-  
us. Hæc igitur cum videamus in illo mó-  
te, latenter in eo ignem esse necessariò fate-  
bimur: quandò à sole tantam ariditatem sie-  
ri non posse clariss est, quām ut probari  
conueniat. Ignis igitur in profundioribus  
montis partibus existens, vel erit à bitumi-  
ne, vel à sulphure; quia nullum præter hæc,  
subterraneum ardere potest, ut à multis, qui  
thermarum naturas docuerunt, declaratum  
est. sed quòd bitumen non sit, satis proba-  
uimus: remanet, ut sit sulphur; quod ibi  
esse non leues coniecturæ persuadent, atque  
inter alias hæc est ferè potissima. Cum enim  
ex Cumis per Baias, & Puteolos, ad Ve-  
suvium multæ extant incendiorum, ignium-  
que eruptiones, non immerito vniuersus  
iste tractus ab eruditioribus, quasi continuū  
quod-

quoddam sub terra incendium habere est  
existimatus: sicuti & multis aliis regionibus  
loca sunt consimilia · vt in Iudea , per totū  
ferè tractum, qui est ad Iordanem fluuium .  
In Asia minori per Phrygiam , Mœoniam ,  
Lydiam , Cariam . Ità igitur & in Cumano  
tractu ad Vesuuium ; & nescio , an mihi li-  
ceat etiam dicere usque ad Aenariam Insu-  
lam , vt ignis per terræ profundissimas par-  
tes, infrā aquas maris, ad insulam permeet.  
Scimus enim vniuersam ferè insulam sul-  
phure, alumineque, & denique multis ther-  
malibus aquis refertam esse . Præterea pro-  
pè Puteolos ingentem maris partem , ignis  
vi exiccatam; vt nullum ex hoc appareat ab-  
surdum, etiam suprà ignis minerā mare exi-  
stere : præfertim verò hoc de quo loquimur.  
Nam inter Italiam & Aenariam in mari ip-  
so (referente Plinio ) aquæ miro feroore  
exiliunt: vt in Baiano sinu & in Liri Fluvio.  
Mediosque inter fluctus (vt eius verbis utar)  
existit aliquid valetudini salutare . Præte-  
reà in Danubij mediis aquis calidæ surgunt,  
& in multis alijs fluminibus ; quod quidem  
fieri , non nisi prædicta ratione, omnino e-  
dendum est. Sed ut ad Napolitanum tra-  
ctum

Etum reuertar, in multis locis intrà prae-  
narratos terminos ignis ardere conspicuè  
videtur; in alijs fumofæ exhalationes cali-  
dæ sunt, in quibusdam balnea calidissima, in  
alijs tepentia. Sunt & specus venenata, exhalationem expirantes; que omnia ex igne  
sunt. Verùm in vniuerso ferè hoc tractu,  
vbicunq; huiusmodi ignis indicia apparent,  
sulphur efflorescere solet, & alumem; quan-  
doque & chalcantum, & ei cognata; sed ex  
his nil ardet praeter sulphur; quam ob rem  
ipsum exustionis causam esse affirmandum  
est, & quanquam alicubi manifestè ignis nō  
apparet; eius tamen indicia non solum circà  
hos terminos, sed in vniuersa ferè Campa-  
nia conspiciuntur. Pro cuius rei confirma-  
tione libet hic paululum digredi; atque ea  
quæ M. Vitruvius de puluere Puteolano ha-  
bet, ad nostrum propositum maximè facien-  
tia, in medium proferre: eius autem verba  
sic habent libro secundo.

*Est etiam genus pulueris, quod efficit natu-  
raliter res admirandas. Nascitur in regioni-  
bus Baianis, & in agris municipiorum, qua-  
sunt circa Vesuvium montem: quod commix-  
atum cum calce, & camento, non modo ceteris*

D

edi-

adifcūs præstat firmitate; sed etiam moles,  
qua cōstruuntur in mari, sub aqua solidescunt.  
Hoc autem fieri haec ratione videtur, quod sub  
hi⁹ montibus, & terra, ferverentes sunt fontes  
crebri, qui non essent, si non in imo haberent,  
aut de sulphure, aut alumine, aut bitumine ar-  
dentes maximos ignes. igitur penitus ignis, &  
flamme vapor per interuenia permanans; &  
ardens, efficit leuem eam terram; & ibi, qui  
mascitur sephus, exugens est, & sine liquore.  
Ergo cum tres res consimili ratione, ignis ve-  
hementia formata, in unam peruenient mix-  
tionem repente recepto humore, una cobere-  
scunt, & celeriter humor durat, solidantur:  
neque eas fluctus, neque vis aquæ potest dissol-  
vere. Ardores autem esse in his locis, etiam  
tunc respoteſt indicare; quod in montibus Cu-  
manorum, & Baianis sunt loca sudationibus  
excavata, in quibus vapor fervidus ab imo na-  
scens, ignis vehementia perforat eam terram,  
per eamque manando in his locis oritur; & ita  
sudatorium egregias efficit utilitatem. Non mi-  
nus etiam memoratur antiquitus creuisse ardo-  
res, & abunduisse sub Vesuvio monte; & inde  
euomuisse circa agros flammam. Ideoque  
nunc qui spongea, sive pumex Pompeiam  
voca-

vocatur, excoctus, ex alio genere lapidis, in hanc redactus videtur esse generis qualitatem. Id autem genus spongia, quod inde eximitur, non in omnibus locis nascitur, nisi circum Aethnam, & collibus Myzie: quæ à Gracis natu nomen aperie nominantur; & si que eiuscmodi sunt locorum proprietates. Hæc ille, & alia quædam, quæ per se lector vide-re poterit. Est autem hic puluis Puteolanus ab illo dictus, qui vel nunc nomen Neapolis seruat: appellant enim Puzzuolame; & eundem in ædificijs præbet effectum, quem Vitruvius dicit; hunc Seneca, si aquam extigerit, saxum esse affirmat.

Sed quod ignes hisce in locis sint, confirmare etiam potest eorum fertilitas, quæ tam magna est, non arborum modò, sed frugum etiam, vitiumque, ut veteres (Plinio auctore) in Campania esse sumnum Liberi patris, cum Cerere certamen, dixerint. Solum enim id optimum esse testatur, cum omnes rci rusticæ scriptores, tum in primis Theophrastus, quod calidum, humectumque est; ambo enim obtinet ea, quibus opus omnino est: alimentum, scilicet, & id, quo alimentum conficiat. Hoc verò esse in campinis agris, hac

D 2 ratio-

ratiōne persuademur. Nam cūm in his locis semper adsit imbrium, pluuiarumque copia, solum quidem humectum redditur; caliditas autem ex subtēraneis partibus proueniens, terram reddit solutam, leuem, tenuem: ita vt aqua cœlestis intestino eius humori valeat permisceri. Quarè non solum copiosū suggeritur alimentū ex pluuiarum multitudine, sed etiam perfectè concoquitur: vt & vberes fructus, & qui suauitate, ac magnitudine cæteros antecellant, efficerit possit. Atque , vt vno verbo dicam, ex his duobus, calore inquam interno, & imbrum copia, fit; vt solum hoc Campaniæ omnia habeat signa, quibus agri fertilitatem cognosci scribunt agriculturæ scriptores. Est enim pingue quidem, sed non rigidum, neque densum, sed putre, leue, non salsum, neque frigore torpet.

*Quod tenuem exhalat nebulans fumosq; volucres.*

Quibus fit, vt adsit calor, & alimentum; facilisque etiam radicibus transitus exhibeat. Est enim tale ferè per se ipsum, quale nos imitamur arando: & vt Virgilij verbis vtar. Neque enim aliud est colere, quam resol-

resoluere, & fermentare terram; ac propterea qui aruus pinguis est, ac putris, maximos quæstus reddit: quia cum plurimum reddat, minimum poscit; & quod postulat, exiguo labore, atque impensa conficitur. Est præterea nigro colore terra; & (vt Plinius, & Columella appellant) pulla: qualem Leophanes (vt Theophrastus refert) commendabat: quæ non alia ratione fit, nisi ex calore subterraneo coquente.

*Talem diues arat Cappa, & vicina Vefauo.*

*Ora ingo, & vacuis Claniis non equus  
Acerris.*

Nam propter hanc rationem, cum multæ in aruis campanis decidunt pluviæ, terræ tamen superficies coenosa non fit: absuntur enim confessim vniuersus humor à subiacente calore, ita vt vix leui quodam madore aspersa terra videatur: Vnde fit etiam, vt arborum genus omne fæcundissimum sit, maximosque, & qui suavitate omnes alias antecellant, fructus, ædat: frugum vero non item. Hæ enim licet fæcundæ, non tamen optimæ sunt; vt quæ in Apulia seruntur; Etenim, quia humidum, & copiosum nutri-

mentum optant ( siquidem iejuna , macilentaque constat natura) etiam si multas hypernas pluuias excipient , tamen ob raritatem soli fit , ut alie descendant : quarè earum radices , quæ alimentum capiunt , quod superficialis terra ministrat , humorem attingere nequeunt . Arbores verò attrahunt , quia radices habent in profundum ; ac propterea Virgilius de terra loquens ait .

*Altera frumentis quoniam fauet, altera  
Baccho ;*

*Densa magis Cereri , rarissima queque  
Lyeo .*

Hanc Plinius ad idem fere respiciens , ita descripsit . Gratia terre eius puluera summa , inferior bibula , & punicis vice fistulans . Monstrum quoque culpa in bonum cedit . crebros enim imbres percolat , atque transmittit ; neq; datur , aut madore voluit propter facilitatem cultura . eadem acceptum humorem nullis fontibus reddit ; sed temperat , & concoquens intrà se , vice succi continet . Hæc Plinius . Quod fieri quidem neutriam posset , nisi ab ignis vi : qui non folium quia fistulosam reddit tellurem , tantam aquarum copiam absorbet ; sed quia per se ipsum etiam humorem consumit .

fumit: Atque hinc etiam putandum est partem hanc nostram agri Campani, quæ Laboriæ appellantur, à Græcis Phlegræi, indefessam habere terram: toto enim anno feritur, quia calor internus assiduum ei administrat, & concoctum alimentum. Hic nunquam non recentes in ea fructus, & alienis mensibus flores varij: quod quamuis à cœli etiam temperie fiat, multum tamen in hoc soli naturam conferte necessariò dicendum est; nam & multa sunt loca clementi cœlo gaudentia, quæ vix mediocri fertilitate gloriari possunt. Quod si quæ segetes interquierere, rosam fundunt vere, satiuz odorationem, adeo terra non cessat parere. Vnde vulgo dictum (ut auctor est Plinius) plus apud Campanos vnguenti, quam apud ceteros olei fieri. Quare & agricultæ cum sterile hahent solum, arte ignis nempe auxilio; illud accommodant; aliqui etiam cinerem spargunt, & ut Virgil. canit,

*Sepe etiam steriles incendere profuit agros;*  
*Atque leuem stipulam crepitantibus ure*  
*refannis:*

*Sine inde occultas vires, & pabula ter*  
*ra*

56      *Bartolomeus Maranta*  
Pingua concipiunt, siue illis omne per  
ignem  
Excoquitur vitium, atque exudat inuti-  
lis humor,  
Seu plures calor ille vias, & caca rela-  
xat.  
Spiramenta, nouas venit quæ succus in  
herbas,  
Seu durat magis, & venas astringit  
hiantes,  
Ne tenues pluviae rapidius potentia Solis  
Acrior, aut Borea penetrabile frigus adu-  
rat.

Sed satis digressi sumus; quarè ad id, vnde diuertimus tandem redeamns: concludamusque in Campanis agris, in toto fe- rè tractu, ignium fomites extare; sed alibi magis, alibi minus eorum vim apparere; pro ut in profundioribus, vel in superficialibus terræ partibus ignis existit. Nec minus pro eius maiori minoriue quantitate. In agro enim Puteolano ad Bullam vocatam maxi- mè omnium; ibi enim non solùm aqua fer- uens, ac calidissima semper est, sed oricia ad sunt ignis satis ampla, ex quibus maximo, ac penè formidabili strepitu, ac impetu flam-

flamma sursum fertur ; cuius fumus æternā  
nubem in aëris media regione constituit ;  
quod quidem ideo fit . quia superficialis est  
sulphuris vena , & multa ; ibi enim eius ef-  
fodiuntur glebæ ; quæ deinde ignis artificio  
purgantur in venale per totum Regnum sul-  
phur ; ibi etiam viuum sulphur non medio-  
cri copia efflorescit . Sed ad lacum Agna-  
num dicēum sunt quidem sulphuris vestigia ;  
quia tamē nō ità superficialib. in partib.ter-  
ræ incendium est , fumus tantummodò exīt  
calidus quidem usque adeo , ut vix ab hu-  
mano corpore perferri queat ; Nam ad  
multos affectus excipitur ; & ad hominum  
commoditatem domunculas habet , & testu-  
dines locus membris immittendis , vel uni-  
uerso corpore , satis aptas . Hunc locum su-  
datorium , nimirū ab effectu appellant ; sunt  
& inter Neapolim , & hæc loca terræ aridæ  
penitus , in quibus herbæ nullo pacto na-  
scuntur : ad quas peruenire quidem ignis  
vim credendum est , sed ob spatij longinqui-  
tatem ità remissam , ut non nisi ex hoc effe-  
ctu ignis deprehendatur . Vel fuisse quidem  
olim in his partibus ignium voragini dicē-  
dum est , sed tandem vel pabuli defectu , vel  
alia

alia quapiam causa, extintos magna ex parte esse: ita ut vix modicus fomes relictus fit. Causa autem esse potuit vis ventorum, & spirituum in terra genitorum, qui ignis flammarum eò impellant, quò ipsi magno impetu magis feruntur: quod quidem in multis Italiæ locis accidisse nouimus; præsertimque in Aenaria insula, in qua dum Carolus secundus regnum teneret, CCLVII. ab hinc annis, tantam fuisse accensi sulphuris copiâ legitur, ut bonam illius Insulæ partem, cum magna hominum, ceterorumque animalium iactura, destruxerit. sed hoc per duos integros menses perduravit postea enim sedato igne, loca arida relicta sunt, quæ adhuc vestigia incendij seruant; neque in ea parte herbæ ullæ; aut arbores nascuntur.

Ita igitur & in Luculliano monte evenire nullum esse potest dubium: nam quod in eo ignis fit, soli pumices testari possunt. Hi enim non nisi, ubi ignis eructat, inueniri solent, ut in Vesuvio, & in Aethna Siciliæ, est enim pumæx combustus lapis. quamobrem vis ignea, uel quia nimium remota à basi montis, uel quia pauca omnino fit, potest longo temporis spacio, primùm quidem, quos inuenit

uenit lapides, coquere, donec uel in pumicem, vel ulterius in calcem, cineremue convertat. Deinde illis etiam lapidibus aliquam ex vaporibus eleuatis sulphuris qualitatem relinquere; per quos lapides simplex, ac impermixta aqua præterfluens, non solùm cinerum, calcisque acrimoniam, sed sulphuris etiam teturum tum odorem, tum saporem exceptat: ac propterea nil mirum sit, quod aqua illa, cum manifestum habeat sulphuris saporem, nihil tamen sulphurei recrementi, nec per decoctionem, nec per distillationem, demonstrat. Quia non substantia sulphuris, sed vapor solùm in ea permiscetur: qui cum renuissimus sit, & proportione aquæ paucus, primus omnium ferè cum igni aquæ admoveatur, in aërem vertitur. Adde quod raro sulphuris partes per distillationem remanent in vasis fundo: antequam enim aqua omnis penitus resiccatur, in fumum euaneat: quod exemplo balneorum, quæ in Bada opido Austriae sunt (de quibus supramentionem feci) comprobari potest. Hæc namque tam & si sulphuris multum habeant, nitri vero, & aluminis minimum; ex distillatione tamen quod subficit recrementum, alumina qui-

*Bartholomens Maranta*

quidem, & nitrum ostendit), sulphuris verò  
ne minimum quidem apparet indicium; ve  
testantur hi, qui huius rei periculum fecere.

Verum hac in re multa sunt problemata  
soluenda, primumque quod occurrit est, quo  
fieri possit, ut aqua nitidissima sit, si non me-  
diocrem calcis partem habet, quod & ex sa-  
pore, & ex recreemento dignoscitur. Cuius  
rei ratio est, quod per tophi exusti, pumi-  
cisque concavitates percurrit, ex quo fit, ut  
quodam modò coletur, crassioribus nempe  
partibus, quæ eam impuriorem reddere pos-  
sent, inter poros, ac foramina illa remanen-  
tibus. Atque hæc etiam ratio est, cur aqua,  
quam ex sinistra collis parte scaturire dixi-  
mus, impurior exeat; quia multos quidem  
lapides exustos lambit, sed non per multos  
pumices pertransit. Nitida verò altera post-  
quam in uase posita est, post certum tempus  
turbatur; quia ramenta illa calcis paulatim  
vniuntur, & subsident, tam & si non penitus;  
quod nos quotidie ferè in lotio obserua-  
mus: cuius vnum genus est, quod purum  
mingitur, sed paulò post impurum fit. Con-  
simile etiam in lixiuio, quod cum cineris te-  
nuiora ramenta multa habeat, perspicuita-  
tem

tem tamen habet: sic & in vino, cuius fæx latens nulla ex parte nonnunquam ostenditur; & denique in omnibus liquoribus, qui diuersas habent partes, idem cernitur. Hoc idem in multis alijs aquis sponte nascentibus visitur. Nam Fiderius fons balneorum in Heluetia suprà Villam Fideris aquas habet aluminosas, acidulas; quibus calefactis pro balneo vtuntur. Aqua frigidissima ex puteo hauritur, & clara; sed cum inferbuit, turbatur, & crassescit; vt lactis ferè substantiam, coloremque referat. Hinc etiam ex ea montis parte, quæ aridior, & herbis spoliata videtur, acrior, & tetricor aqua exit: nā quæ ex parte alia herbis vestita effluit, nullam habet acrimoniam, nec sulphuris odorē; qualem esse eam, quam ad diuæ Luciæ exire diximus; atque aliam, quæ septentrionem spectat: tandemque puteales omnes; Hoc sit, quia non multum caloris versus illas partes eleuatur, vnde fit, vt calx, & cinis vel nullus, vel modicus fiat: sulphurisque vapores nulli ad eas perueniant; quamobrē ferreæ solūm illæ dicendæ sunt; quod indicat inter alia rubrica illa, quæ circā has partes multa efflorescit, atque astricatio, qua poller,

pollet, ac propterea etiam hæ pingui illo sa-  
pore spoliantur, quem à sulphure, non absq;  
ratione alijs aquis communicari diximus.

Cur autem aqua hæc frigida exeat, non  
calida, nec tepens, hæc existimanda ratio est,  
quia vis ignea sulphuris ad eam non perue-  
nit, sed vapor tantum, qui lapides exustos  
inficit quidem, sed tanti non est, ut calorem  
aqua*æ* impertiri possit. Ut enim calida fiat  
aqua; necesse est proportionem ignis ad eā  
satis magnam esse: vel si mediocris fuerit,  
saltem aliquo in loco aquam pusillum com-  
morari, ac consistere. Horum verò neutrū  
fit: nam aquæ proportio sua frigiditate, &  
humiditate vincit ignis siccitatem, & calidi-  
tatem. Præterea assiduo fluxu currit, ut re-  
stinguat potius, & refrigeret igneam vim,  
quam ut ipsa calefieri possit. Simile enim  
est, quod de aquis Magnesiæ dicit Aristote-  
les in problematibus, quæ cum feruidæ fontes  
feruere quidem aliquando desierunt: quia  
aqua*æ* copia frigida aliunde fusa in fontes  
feruidos, calorem omnem delevit, tametsi  
vis ignea subter aquis remaneret. Quod si  
in aquis quiescentibus maior frigidæ por-  
tio calorem extinguere potuit, quanto ma-  
gis

gis in his accidet , quæ continuo fluxu ra-  
piuntur? Nam qui causam caliditatis in bal-  
neis inuestigare conati sunt, omnes ferè mé-  
te complexi sunt cauernas quasdam intrà  
terram, excipiendis aquis mineralibus ido-  
neas ; in quibus paulisper immoratae, vi cir-  
cunfusi ignis calefiunt , & feruent ; deinde-  
que ad terræ superficiem , tum ignea ebulli-  
tione , tum etiam continuo fluentis , succe-  
dentesque aquæ impulsu , protrusæ , calidi-  
tatem , vel ferorem retinent ; perinde ut à  
loco, siue alueo, in quo ferorem contraxe-  
runt, distant . Ex quibus palam est hos vix  
induci ad credendum posse, vt calefiat aqua,  
quæ præcipiti , ac perenni cursu dilabitur ,  
etiam si per loca fluat , in quibus magna  
ignis potentia vigeat .

Hoc etiam non leue argumentum esse po-  
test in monte hoc nullum extare durum la-  
pidem, qui exustus veram calcem efficiat. Is  
enim cum primùm ab aqua tangitur, calidif-  
simus fit : quæmobreū & calidam/saltem re-  
missio calore)deberet esse aquam rationi cō-  
sentaneum esset , & præsertim, quia multam  
esse calcis partem tribuimus . Nam & De-  
mocriti fuit opinio ( vt recitat Aristoteles )  
aqua-

quaruin omnium feroorem naturalem fieri,  
quia per eos terræ meatus permeant, in qui-  
bus montes calcis existunt. At cum tophus  
vel mollior quiuis lapis comburitur, calorem  
nullum, superaspersa aqua, ostendit. Quarè  
& hoc genus lapidis, cum in hoc videatur  
loco, & hoc etiam combustum cum aquis  
cas, quas diximus, qualitates communicare,  
magis credendum est; permixtis etiam non-  
nullis ex nigris illis lapidibus, quos supe-  
rius commemorauimus: qui etiam si duri-  
sint, tamen ad calcem efficiendam inepti exi-  
stunt.

Verùm cum de hac re quandoque tecum  
loquerer, Paule doctissime, dubitabas, non  
infirma quidem ratione motus. Nam si ignea  
vis in hoc monte eius dicatur esse potentiae,  
ut lapides montis exactè comburat, nec so-  
lùm eos, qui in eius radice sunt, sed qui in  
superiori parte locantur; Quin & terra ipsa.  
in terræ superficie, ob eandem vim ignis, ari-  
da sit, non videtur imbecillus esse posse ca-  
lor in loco, vnde pertransit aqua (etenim in-  
ferior est) sed ita validus, ut fieri non possit,  
quin conspicuam ex eo caliditatem aqua ac-  
cipiat. Ipsa verò non solùm nullum reporte  
habet,

habet, sed frigidissima est; vincit enim frigiditate maris aquam, in quam illabitur. Huic quidem rationi sic fortè occurri posset; Nam cum aqua hæc è terræ visceribus exeat, in quibus æstatis tempore, propter antiparastasin maximum viget frigus; etiam si à calore sulphuris ingens illa frigiditas aliqua ex parte remittatur, adhuc tamen tantum ei frigiditatis relinquitur, ut vincere possit aquam maritimam, quæ Soli exposita, quodammodo in primis qualitatibus temperata fit; quamobrem gratissima se natantibus præbere solet: cuius rei indicium est, quod accedente autumno istius aquæ frigiditas paulatim mitior facta est; sicuti & maris acrior. Vnde hoc non amplius frigore ab illa relinquebatur. Neque verò ex lapidum combustione, & terræ ariditate, certa vehementis ignis coniectura habetur. Quandò fieri posse nihil vetat, ut imbecillus calor longo temporis interuallo, coquere possit lapides, & in calcem cineremue conuertere; atque idem opus præstare, quod vehemens calor paucis diebus exolueret. Atque eò præsertim hoc in loco id posse euenire, est existimandum quod genus hoc lapidum du-

sum non est, sed coprophagum. Nam & à Sole nouimus multa (diurno tamen tempore) effici; quæ ignis auxilio breui fieri consueverunt. quamobrem mitis cum sit calor, quia ei cum immoderata frigiditate certamen relinquitur, vixius tandem dat herbas; aqua verò ipsa non nihil ex congressu atque dimicatione debilitata, frigida nihilominus erumpit. Sed etiam si concesserimus valēcem esse calorem, non tamen propterea aquā calcieri, necessarium esset. Nam (si recte eorum, quæ superius diximus, meminerimus) non uniuersum montem pumicatum esse, & cauernosum, ceteraque subterranei ignis indicia habere, perhibuimus; sed illam eius solummodo partem, quæ occasum, meridiēque spectat: quarè ibi solum vigore exhalationum spiracula credendum est. Verum cum aqua ipsa originem à longinquis, reconditique partibus ducat, dum per loca pertransit non exusta, frigidissima (æstatis præser-  
tim tempore) sit, necesse est: quod si perueniat tandem ad calentem locum, tam breuis eius est mora, ut tam & si eam calor ex aliqua parte immutet, tamen adeò exigua est mutatio, ut adhuc ei frigiditatis excep-  
ran-

rantia remaneat; nam longè frigidorem in loco, vbi primùm nascitur, esse existimandum est. Easset quidem obiectioni locus, si totus mons ab igne exureretur, nec minus, si eodem in loco aqua haberet originem, per quem locum tanta ignis vis pertransit, ut ad superficiem montis peruenire possit.

Nec est incōueniens esse in aqua sulphur, & eam frigidam permanere. Nam nisi sulphur accendatur, aquam nullo pacto calefacit; sed idem ferè est, si accendatur quidem, sed ab aqua extinguatur, quia nimirum paruus eius existat gradus. Hoc enim quāquam per se clarum est: multorum tamen balneorum exemplis cōfirmari potest. Nam in agro Tigurino Helvetiqaqua ex ~~exit~~ ex tri-  
bis fontibus frigidissima, ex quibus unus continet sulphur. Est & in eadem regione vallis Alfaneia dicta, à Curia ciuitate, spa-  
cio III. m.p. distans, quæ aquam sulphure, adeò abundantem habet, ut iniecti in ea sur-  
culi lignei, crasso quodam, veluti ex argilla, cortice obducti, remoueantur; aqua verò frigida est. Quod si cum tanta sulphuris copia aqua frigida inuenitur, cur dubitabi-  
mus cum paucis sulphuris vaporibus frigi-

E 2 dam

dam posse aquam fluere? Sed postquam in hunc sermonem incidimus, nostræ partes esse videntur, vt hanc rem exactius declareremus, quod breuiter exequar. Nam qui rationem caliditatis thermarum, & causam non ignorauerit, facilè cognoscet, hoc mirum non esse. Siquidem possunt aquæ cœmunes quavis minera infectæ, frigiditatem seruare: quemadmodum contrà multæ esse possunt calidæ, quæ potabiles erunt, nulliusq; miscellæ participes. Calorem enim in aqua non ex sui natura ineft, sed igne supposito calefit. Neque verò alumen, aut nitrum, aut metallum aliquod, quin nec ipsum sulphur, & bitumen ei caliditatem addere possunt; etiam si multa eorum copia in aqua permaneat: sed necesse est, vt accendatur sulphur, aut bitumen; atque ita superiacentia aquæ calorem communicabit. Euenit verò quandoque vt per venas sulphuris, & bituminis non accensi aquæ pertranseat, eoru substantias, & qualitates rapiens; sed nullâ ex eis actu caliditatem habebit. Præterea potest esse calida aqua, propter terræ subiacentis caliditatem, sed postquam calidum solum reliquerit, breui spacio frigescere: quod

quod eō citius ficit, quō remissior erit calor,  
per quam pertransit. Nec minus erit, cum  
per terram ex subiacente igne calefactam,  
prætarlabatur, vel in ea quiescat, ad quam  
nulla sulphuris, vel bituminis qualitas per-  
ueniat; sed solus calor: atque ita calidæ  
erunt, sed potabiles. In cuius rei testimo-  
nium, tā & si multos adducere possim, vnius  
tamen Vitruuij verba adducam, de hac re  
breuiter, atque eruditissimè loquentis. Ait  
enim: *Relinquitur, ut multò meliora inue-  
niantur capita fontium, quæ ad septentrionem,*  
*Aquilonemue spectant: nisi, si inciderint in*  
*sulphurosum locum, aut aluminosum, seu bi-*  
*tuminosum; tunc enim permutantur, & aut*  
*calida aquæ, aut frigide odore male, & sapore*  
*profundunt fontes.* Neque enim calida aquæ  
est ulla proprietas; sed frigida aqua cum inci-  
dit, percurrens in ardenter locum effervescit,  
& per calefacta egreditur per venas extrà ter-  
ram: ideo diutius non potest permanere; sed  
breui spacio fit frigida: Namque si naturaliter  
esset calida, non refrigeraretur calor eius sapor  
autem, & odor, & calor eius non restituitur;  
quod intinctus, & commixtus est propter na-  
tura raritatem. Hæc ille; si igitur calida nō

ex sui natura est aqua ; nec negare possumus multas causas sub terra esse posse ; quæ eius calorem remoueant ; profectò cur id , quod de eius frigiditate dixi, infirmari possit , non video . Omnes enim in hac aqua esse possunt , vel si vna , aut altera duntat sit, quamcumque acceperis, rationabilis est . Sed quòd possit aqua optimo sapore constare , & tamen calida esse ; audi eundem Vitruuim . Sunt autem nonnulli fontes calidi ; ex quibus profluit aqua sapore optimo , quæ in potionē ita est suavis , ut nec fontanalis ab Camœnis , nec Martia saliens desideretur . Hęc autem à natura perficiuntur his rationibus : cum in imo per alumén , aut bitumen , seu sulphur , ignis excitatur , ardore percande facit terram , quæ est circā se , suprà se autem feruidum emittit in superiora loca vaporem : & ita sì qui in his locis , qui sunt suprà fontes dulcis aquæ nascuntur , offensi eo vapore , effervescent inter venas ; & ita profluit incorrupto sapore . Sunt etiam odore , & sapore non bono frigi fontes , qui ab inferioribus locis penitus orti , per loca ardentia transiunt ; & ab his per longum spaciū terræ percurrentes refrigerati , peruepiunt suprà terram sapore , ado-

res

re, coloreque corrupto : uti in Tyburtina via  
flumen Albula : & in Ardeatino fontes frigi-  
di, eodem odore, qui sulphurati dicuntur ; & in  
reliquis locis similibus. Hactenus Vitruvius

Excogitaueram & alium respondēdi mo-  
dum ; quem ideo proponam, vt liberum sit  
lectorī hunc, vel illum sumere, & quem pro-  
babiliorem existimauerit, aliis rationibus  
per se inuentis fulciat. Elicitur autem hic  
modus ex Aristotelis doctrina, quæ non  
propterea discrepat ab his, quæ diximus :  
immò eam etiam maximè confirmare potest.  
Est verò vt dicamus aquam hanc effluxisse  
aliquandò calidam, ob connatam vim ignis,  
à sulphure ad eam delatam : sed extincto  
tandem igne ( quod quo natūrā pāctō evenire  
possit superius diximus ) frigidam remansis-  
se; saporem autem in ea adhuc conseruari,  
qui per calcem, seu cinerem multo ante tē-  
pore ignis exustione genitum, pertransit,  
eorum rapiens sapores. Secundo enim li-  
bro Meteororum hæc verba habet: Quacun-  
que autem sunt salsa rheumata fluuiorum, ans  
fontium, plurima quidem calida aliquandò  
esse oportet putare ; deinde principium quidem  
extingui ignis ; per quam autem penetrat ter-

ram adhuc manere existentem, velut calcem & cinerem: sunt autem in multis locis & fonzes, & rheumata fluuiorum omnimodos habentia sapores: quorum omnium ponere causam oportet inexistentem, aut ingenitam virtutem ignis: exusta enim terra secundum magis, & minus omnimodas accipit formas saporum, & colores: aluminis enim, & calcis, & aliorum talium sit plena virtutibus: per que penetrantes aquæ, existentes dulces permutantur. Hac Aristoteles.

Hanc verò rationem si putauerimus esse veram, fortè nihil sulphuris continebit aqua. Sed quam quæso sulphurei odoris in ea existentis, causam assignabimus? An cum eodem Aristotele dicemus libro problematum, omnium rerum cinerem sulphur redolere? An quòd aqua cum aliqua terrestri materia misceatur, que semicocta, & per aliquod tempus in cauernis retenta, putrescens, regnum, ac sulphuri similem odorem gignit? An potius quòd ignei quidam spiritus naturæ sulphureæ cum aquis miscentur, qui non penitus sulphur sunt? Nam post fulguris iactum, spiritu illo intra nubes genito, atque vi ignis in terram delapso, sulphureus odor percipi-

percipitur: cui similem gigni in terra posse nullum est inconueniens. Quam rem fortasse illud confirmabit, quod dum effoderentur in profundum putei in hoc monte, nullo pacto potuit ab operarijs teter, ac sulphuri plane similis halitus perferriri; Vnde sibi ipsis diffisi inchoatum imperfectumque opus reliquerunt.

Esset verò hæc aqua valde illi similis, quam in balneo à lactis Crema dicto, in Helvetia esse dicunt. frigida nanque exit ex puteo in sylua viginosa effosso; sed sulphur olet satis putido odore: & locis, vnde fluit, rubiginem relinquit. Experientia tamen comprobatum est, aquam illam nihil sulphuris continere; sed odorem illum tribui aquæ, propter loci humiditatem, putrescenti.

Eius generis puteos quæ plurimos repe- riri Vitruvius testatur: ad quos, dum effodiuntur, descendere tutum non est; Non raro enim confestim hominem suffocant pestilent exhalatione, vnde lucerna immissa probationem fieri docet: nam si extingua- tur, mors timenda est. Docet præterea ef- fodienda esse spiramenta ad putei foueam (quas nares appellat) per quæ pestifer hali- tus

*Bartholomeus Maranta*  
vus expiret, & aditum effodientibus secu-  
riorem præbeat.

Sed quamvis hæc dicere nullum videatur  
absurdum; tamen priori sententiæ magis in-  
nitimur; illamque veriorem esse credimus;  
vt scilicet dicamus adesse quidem in montis  
profunditate ignem ex accenso sulphure, sed  
ità remissum, vt vaporibus tantum aquam  
leuiter inficiat, eo, quo diximus modo. Nam  
secunda opinio pinguitudinis causam in aqua  
assignare non potest. Si enim tribuamus ni-  
hil in ea sulphuris inesse; aliquid aliud pin-  
guedinis (quæ in ea & sapore, & tactu per-  
cipitur) causam statuamus necesse est. sed in-  
uenire rem, vnde illa oriri possit, valde dif-  
ficile est, nisi ad bitumen (quod ab aqua hac  
penitus exclusimus) configere velimus.

Quod si quis dixerit esse in hac aqua sul-  
phur, atque ei pinguedinem aquæ ascriben-  
dam esse, & teturum odorem; quia scilicet  
nihil verat, quin olim dum flagraret hic  
mons; accensu sulphur nō solùm lapides cō-  
bustos relinqueret, sed eius bona pars eos-  
cē lapides inficeret; quarè extincto postmodū  
igne, sulphur lapidibus adh̄erescens ab aqua  
prætercurrente excipitur: quod si verum est,

om-

omnis difficultas de istius aquæ frigiditate resecatur. Si inquam quis rem ita animo finxerit, hunc conjectura aberrare non leuis ratio commonstrat. Nam si semel sulphureus vapor adhaesit lapidibus, & cineribus; cum continuus adsit aquæ fluxus, qui cineres abluit, verisimile quidem non est ut possit cum aqua per tam longum temporis spaciū communicari, sed ablutis cineribus breui esset consumptus. Quin nec ipsa calx, cinisque acrem aquæ saporem tandem imperire posset, sed esset tandem, cum fuliginoſa eius substantia ex omni parte exhauriretur. Namque si ex ablutione semel, atque iterum hominis artificio facta, calx omnem conterit acrimoniam, quid putandum est fieri posse, si per tot annos, & lustra, continua fiat ex fluente aqua ablutio? Quapropter dicendum est ibi esse ignem, qui nouam calcem, nouosque cineres indies procreet; noui etiam ex sulphure vapores descendant, qui aquam tingant: ac quemadmodum perennis est aquæ decursus, ita & nullo punto temporis intermissione, assidua, perpetuaque sic sulphureę exhalationis suppeditatio, nec unquam intermitentes cineris, calcisq; generatio.

Quæ

Quæ cum ita sint, ad huius aquæ facultates declarandas accedere, tempestiuum videtur, primumque de eius temperamento loqui oportet; hoc autem dupli via inuenire possumus, altera est ex aquæ saporibus, altera ex rebus, quæ cum aqua commiscentur: sed hæc artificiosior est, certiorque, illa minus certa, & vulgatior. Nam ( ut de prima loquamur ) cum sciamus ab hoc, vel illo sapore, hanc, vel illam qualitatem significari; cognitis saporibus ( hi autem statim gustus auxilio percipiuntur) quid aqua possit, determinare possumus. Vnde quia acer sapor calidus est, & vrens, atque effetus eorum, quæ quarto gradu calida sunt, molitur, nisi quid impedierit, possemus dicere & aquam hanc, quia acris est, quarto ordine calidam esse. Præterea quia acidus sapor frigidus est cum tenuitate substantiæ, similiter, & astringens frigidus quidem, sed in crassa substantia sedem habens; possemus pronuntiare frigidas etiam partes habere hanc aquam; quæ, quia cum calidis connectuntur necessariò illas remittunt; rursusq; ex mutuo inter contraria hæc congressu, & frigidis partibus debilitatis, neque summe cali-

calidam, neque præter modum frigidam aquam esse eliceremus. Nec minus & siccitatem inueniremus, & humiditatem; quia enim astringit, eam siccare posse cognoscemus, sed cum aquæ substantia, quæ hos sapores continet, per se ipsam consideratá humiditatem habeat, ideo & inter se temperari vicissim humiditatem, siccitatemque nos non lateret; tandemque diligenter facta, inter has qualitates comparatione; gradum exuberantium artificiosà coniecturā asserueremur.

Verùm si rectè considerauerimus, non esset nobis ex his exacta eius temperamenti dignatio; quia multa sunt acria, quæ deleteriam habent vim; multæ etiam, quæ noxia non sunt: similiter & de alijs saporibus: quin si rectè meminerimus eorum, quæ à principio diximus; multæ sunt aquæ nullius saporis participes, quæ vires habent eorum, quæ vehementissimis saporibus constant. Quare perspicuum est, ex gusto solo aquarū qualitates perfectè sciri non posse; Necessè igitur est res cognoscere, quæ aquæ huiusmodi sapores impertiunt: ita enim ad eius naturam cognoscendam proprius accedemus.

Scire

Scire enim vires mineralium, quæ in aqua sunt, nouum nobis non est: sed quòd ab hac, vel ab illa fodina aqua inficiatur, hoc quidē intelligere nouum est, & difficultate non caret. Iam verò si ex solis saporibus liceret aquæ medicatæ vires cognoscere, inutiles profectò essent tot iilustrium virorum labores, & concertationes; quæ non aliò tendunt, nisi ut fossilia, quæ cum thermalibus aquis componuntur, declarent; neque etiā opus fuisset nobis tam longo sermone in inuenienda huius aquæ virtute. Sed cum res sint, quæ vires aquæ præbent, si farumque rerum qualitates, & vires longo usu probatae à maioribus nostris sint, in quorum scriptis sunt omnibus in propatulo, profectò qui res certis signis, in aqua esse cognoverit, aquæ qualitates inuenisse gloriabitur; solusque hic labor ei relinquitur, ut siquando plures fuerint res in aqua permixtæ, eorum proportionem cognoscat; nam sic eius temperamentum sciet. Hæc verò proportio ita difficilis est cognitu, ut non nisi milie, & eò amplius experimentis nonnunquam comprobari rectè possit: sed eius initium ab artificiosa coniectura sumendum eis; quam nos,

nos, quo ad eius fieri possit, elimabimus; ut ea duce, alij de aqua periculum faciant, & pro ut res ceciderit ita de ea iudicent, ac paulatim aliquid certius pronuntient, ac posteris tradant.

Ordo autem quem seruabimus, hic erit; ut primò rerum temperamenta cognoscamus, deinde an easdem habeant vires perse; & quandò aquæ permiscentur; præterea quæ vnumquodque eorum quantitate aquam inficiat, ac postremò quis gradus ex tali cōmixtione in primis qualitatibus emanet. Quibus absolutis, ad particulares eius vires accedentes, quot, & qui morbi ex eius usu profligari possint, ostendemus. Tandemque an potu præberi tutè ~~possunt~~, quæcūs debeat esse potionis modus; & quæ obseruari in illa potanda debeant.

Quantum igitur ad primum pertinet, tria hic examinare oportet simplicia; sulphur scilicet, ferrum, & calcem: de his enim cum singulariter dixerimus, facilius aquæ temperamentum, & vires cognoscentur. Incipiām à sulphure; cuius temperamenti gradum Galenus nullibi, quod sciam, exposuit; sed solummodo calidum illud esse dixit li-

bro

bro simplicium. Quanquam alibi in eorum numero videtur illud collocare, quæ quanto ordine calefaciunt, & siccant: vsque adeo enim calidum esse dicit, ut vlcus faciat, quibus diutins adhæserit; quod & Auicennas etiam dixit, in quarto recessu illud calidum, siccumque esse aperte pronuntians. Non nulli ex recentioribus Auicennæ dicta parvipendentes, tertium tantum caliditatis, siccitatisque ordinem ei tribuunt: siquidem (aiunt) tanta eius quantitas deuorari absq; ritè discrimine non posset / eius enim clear præbet. Dioscorides, ex quo recentier nato, ad regium morbum, si quartus ei in esset caliditatis ordo. Sed hi forte non animaduertunt, cum Galeno etiam eis hac in re concertationem esse. Sed de his disputare locus nunc non est; sed sat sit nobis cum Galeno, & Auicenna scire sulphur calidum esse in quarto recessu. Verum in initio eius ordinis else ostendit id, quod Galenus dicit, si diutius commoratur. Cum hoc igitur temperamento sulphur tenuis est substantia, quamobrem detergit, digerit, celeriter concoquit, trahitque à profundo, nec vlla ei inest repercutiendi facultas.

Ferri

Ferri temperamentum ad frigidum declinet, an ad calidum dubium ferè est: sunt enim ex vtraque parte sententiæ, & rationes: verum hoc non aliunde est, nisi quia parua est eius exuperatio, siue sit ad calidum, siue ad frigidum. Nos certè frigidum esse credimus, cum bona eruditorum parte: quod probare multis rationibus non habemus necesse; quia instituti limites transgrederemur: est autem multò siccarius, quam frigidius; quarè frigefacere quidem vlerà primum gradum, hoc est secundo incipiente dicemus; astringere vero in tertij ultimo termino. quamobrem multis pollet remedijs: exiccat enim viscerum propè omnium humiditates, & malignis viceribus etiam efficax. ~~etiam max~~ ostendemus.

Calx ex quarto ordine calefacentium, & siccantium est: siquidem viuam calcem vehementer vrere (crustas enim gignit.) Galenus docet; sed calx extincta post vnum, aut alterum diem inualidior est: ita vt vrat quidem, sed non ita validè; Paulatimque temporis progressu vrendi vim penitus amittit: tenuis est substantiæ, quia magnam sumit ab igne e laborationem; cum ex duro lapide

constet, qui multum temporis postulat, ut perfectè comburatur. Tenuem autem substantiam in ea esse intelligendum est, prout terrenum corpus, quale ipsa est, habere potest. Alstringendi vim nullam habere idein Galenus testatur: v. de vim habet calx abstergendi, incidendi, ac comminuendi crassos, & lertos humores; morbosque propereà ab his ortos, sanandi. Si abluatur, emplasticam vim acquirit, atque absque morsu resiccat.

Cum autem tria hæc miscentur, nō eundem habebunt in qualitatibus gradum, quæ unumquodque per se habere solet; ex contrarijs enim qualitatibus quodammodo eorum compositio fit. Sed si quis componendorum pharmacorum regulas exacte sciat, facile cognoscet, quis ex horum compositione, gradus emergat; quod nos breuitè explicabimus, ne quid omisisse videamur. Cum duæ res eiusdem gradus, ac temperamenti coniunguntur; qualitates, quæ ex illo temperamento prodeunt, neq; minuantur, neque crescunt; quare sulphuris, cum calce connexio, nullam, in gradu eorum constituet varietatem: ytrunque enim calidum, siccum

siccum quarto recessu statuimus . Sed ferrū debilitabit eorum caliditatem , quia frigidū est : atque vnumquodque à suo contrario remittitur . Igitur partes calidæ erunt quatuor perfectæ , duæ autem frigidæ , nec ab-solutæ; ferrum enim diximus frigidum esse in secundo ordine non absoluto. quarè exu-perantia calidi, ex hac compositione , in se-cundo gradu intenso , & quodammodo ter-tij initium pertingens , exibit . Siccitas ve-rò eadem perpendenda est ratione: sed quia ex prioribus duobus , quarti recessus siccitatem habemus, ex ferro verò tertij : pauca potest in huiusmodi compositione esse ex siccitate, varietas : Vnicus enim gradus re-mittitur, atque ~~ex veraque~~ perpendicula re-mānet ; quarè relinquitur, vt siccitas sit me-dia inter tertium, & quartum gradum. Hoc igitur composito medicamento si quis vta-tur, calefacere hominem temperatum pos-set vltrà secundum gradum, exiccare autē vltrà tertium ; idque si conueniens modus admoueatur: nam si præter , aut infrā modū quantitas esset , & eius, quod supereſt , & eius, quod deficit , operationes fierent .

Sed non hac ratione hæc eadem fossilia

in aqua hac considerare possumus, quando-  
quidem præter illa, est etiam aqua potabilis,  
& simplex, quæ cum illis mixta, sui haber  
non contemnendam rationem. Constituunt  
autem ferè omnes potabilem aquam frigidā  
humidam in secundo ordine; Cum enim  
omnium rerum frigidissimam aquam esse  
**Galenus**, & alij dicunt; de elemento intel-  
ligunt; quod nemo ( si modò inueniri pos-  
sit) absque certa pernicie deglutiret. Sed  
quia ob superiùs dictam rationem, si plures  
res eiusdem gradus concurrant, illum non  
intendunt, neque imminuunt, atque inter  
hæc ferrum est eiusdem cum aqua frigidi-  
tatis; nulla ex hac compositione generabi-  
tur ex frigiditate diuersitas; aut si qua sit,  
vix erit perceptibilis: ea inquam, quæ esse  
posset, facta comparatione inter remissum  
frigiditatis secundum gradum in ferro, &  
absolutum in aqua. Quarè remanet, ut aqua  
hæc sit adhuc calida in secundū ordine com-  
pleto. At quoniam in aqua est etiam hu-  
miditas, necesse est ut metallicorum siccii-  
tatem contemperet: illa autem erat in quar-  
to recessu imperfectio: hunc igitur gradum  
siccitatis, si cum re humida secundi gradus  
com-

componamus; relinquetur mixtio in secundo ordine, non tamen absoluto, secundum siccitatem exuperans. Quapropter aqua hæc, cuius temperamentum inuestigamus, erit calida in secundo ordine absoluto, siccata in eodem, sed remisso.

Sed putamus ne ex his, inuenisse iam nos aquæ temperamentum? Profectò si diligenter animo contemplabimur, rem ipsam nō ex toto nos asscutos fuisse intelligemus: Sulphur enim, & calx non qua vis mensura calefaciet, intentio siccitatem gignet: sed certus, ac statutus in omnibus modus requiritur, ut hoc, vel illo gradu qualitates, quibus pollent, imprimant. Sed cum nos nihil adhuc de horum metallorum proportione locuti simus, certum ex eorum mixtione, gradum habere non possumus. Neque enim idem gradus calefactionis erit in aqua, quæ in certa quadam mensura duas libras calcis habebit, & in ea, quæ in eadem mensura duas vncias: atque idem de aliis qualitatibus est intelligendum; quamobrem necesse es set, ut horum trium fossilium quantitatem perfectè sciremus, si de mixtionis gradu sententiam proferre velimus. Hoc

aurem absolutè cognoscere, ita arduum est,  
& difficile ; vt non nisi suspicione quadam  
haberi possit . at vtinam eius generis esset  
coniectura, quæ propius ad veritatem duce-  
ter ; ac non eiusmodi potius, quæ ad incer-  
titudinem magis impellat .

Nihil enim fere doctissimorum virorum  
ingenia magis moratur ; quam scire, primùm  
quidem, qua mensura medicamenta, vel pri-  
mo, vel secundo, vel tertio, vel quarto or-  
dine calida sint, aut frigida ; humida, vel  
sicca : Deinde cum naturaliter plures res  
niscuntur, earum proportionem intelligere.  
Horum namque apud Galenum, qui tot me-  
dicinæ volumina reliquit, ne vnicam quidem  
regulam inuenire est . Omnes prætereà, qui  
post illum egregia medicinæ artis monumenta  
posterioris tradidere, hoc onus detractarunt .  
Sed quod ratione assequi non est, crebra pe-  
riclitatione adipiscimur ; ac qualecumque  
de huiusmodi rebus diuinationem habueri-  
mus , assiduo periculo confirmamus . Neq;  
enim id Galenum, cæterosque medicos de-  
terruit, quò minùs multa componerent me-  
dicamenta, quæ tandem usu, & pericitatio-  
ne comprobata , certam multis morbis sa-  
lutem

Iurem promittunt. Hac igitur coniectura duce nos de aquæ temperamento iudicium dicemus: quæ quantum à veritate aberrauit, is cognoscet, qui sèpiùs res periclitari non verebitur.

Diximus superiùs maiorem esse calcis, quam cæterorum, quæ in aqua sunt, quantitatem, idque non ab re; nam cum ferri puri quedam extent fragmenta; sed calcis glebæ quam maximæ: quin & ferri frusta, quæ multam habent terræ, lapidisque mixtionem, etiam & ipsa à calore in cinerem conuertantur; necesse est fateri multò maiorem esse calcis, cinerisque proportionem. Prætereà quæ per calcem, aut cinerem percurrit aqua, plus etiam qualitatis imbibit, quam quæ per ferrum. Illa enim triabilis est, & facile ab humore rapitur; ferrum durum est, ac nisi quid rubiginis (quæ & ipsa tenebris est) in aquam veniat; nil nisi qualitas quedam satis remissa ab aqua contrahitur. Duplici igitur nomine calx ferrum superat; & substantia, & qualitate; quare calx dupla proportione ferrum superauerit, octupla verò sulphur; Nam si rectè ea, quæ suprà diximus, in mentem reuocauerimus,

sulphuris minima extat portio ; eiusque vapores eo, quo diximus modo existentes, vix octauam calcis partem exæquabunt . Sed videre oportet an calx proportione aquæ tanta sit, quanta consistere possit in gradu suo perficiendo; vt scilicet possimus eam ex equo illi aquæ quantitati comparare ; quæ quantitas etiam suarum qualitatum gradum tueatur . Hoc verò optimè sciri minimè potest, nisi præ intelligamus quantus calcis modus requiratur, vt calefaciat, & siccet quarto recessu : quæ item aquæ quantitas possit secundum frigiditatis , humiditatisque ordinem perficere: & quia hoc à nemine scriptum est, quod sciam ; idcirco sumpta coniectura ab his, quæ eiusdem ferè sunt naturæ ; similiiter & de eo statuamus: fueritque calcis modulus drachma vna intus accepta ; vt possit ærodentem vim ostendere ; & putrefactionem inducendo , tandem interimere . Infrà verò hunc modum si assumatur , inualidiori pollecat vi, atque ex omni parte veneni naturam minimè retineat. est enim calx ex eorum numero , quæ non qualitate sola , sed quantitate etiam certa venenatam vim , ac deleteriam ostendit . Drachmæ verò pondus

dus omnibus tèrè, quæ quarti ordinis sunt  
excälefacentia, & siccantia tribuitur, si dele-  
teriam possidere velint naturam, vt per cur-  
renti per alia eius generis medicamenta clä-  
rum fiet. Aqua verò potabilis si secundo  
ordine frigefacere, & humectare velit; fue-  
rint libræ tres ad summum, ab homine  
tamen temperato potata, neque illa af-  
fæctio præter naturam sit. Sitientes enim  
æstatis tempore, & temperaturæ siccæ tri-  
plò plus aquæ, & eò amplius ingurgitant; &  
fortè etiam neque satis humeçtantur, & fri-  
gefiunt. Cum igitur drachma calcis tribus  
aquæ potabilis libris admiscetur, ex æquo  
cum suis gradibus pugnabunt aqua, & calx  
remanebitque ~~cale~~<sup>quæ</sup> exoperan-  
tia in duobus gradibüs; quia totidem aquæ  
per contrarias qualitates superat.

Sed quæ nam est huius aquæ cum calce  
proportio? Profectò nulla alia præter eam,  
quam diximus. Nam recrementum, quod  
in vasis fundo decoctione, vel destillatione  
facta remanere solet; est ex singulis aquæ li-  
bris paulò plus, quam drachma: dimidia:  
quamobrem in tribus libris aquæ (quod pô-  
dus gradum potabilis perficere diximus)  
sesqui-

sesquidrachma calcis magni tamen pondēris admiscetur: Verūm hæc cum tenuissima calcis pars sit, nihilque habeat terrestrium partium; quarum ratione maior fieri soleat ærodendi effectus, non immeritò sesquidrachmæ pōdere præstare id posse dicemus, quod calx ipsa crassioribus partibus nequam depositis, drachmæ solius pondere præstare potest: ex quibus colligere licet iustum ferè esse calcis quantitatem, vt abso-lutum, quo pollet, effectum proferat: relinquiturque, vt hæc calcis cum aqua compo-sitio in secundo recessu calida sicca sit; vel in initio tertij, ob paulò maiorem quantita-tem, quam habere videtur, quæque augere eius vim solet. nam aucto medicamenti mo-do, intendi etiam gradus qualitatum posse, tanquam notum (vt nunc quidem est) transi-gimus. Neque enim omnia probanda hoc loco sunt; nam & idcircò hac in re paulò ob-scuriores videbimus; est enim hæc de medi-camentorum gradibus, atque dosi tractatio eiusmodi; vt non nisi quam longissimo ser-mone declarari optimè possit. & nos eam ali-bi vberiūs examinauimus. Cum igitur in tertio ordine incipiente calidam siccām in-ueni-

ueniremus aquam , rursus ab his gradibus .  
aliquid detrahendum est : quia vera calx  
non est, quæ in aqua permiscetur, sed aliquā-  
tò inualidior . Hoc verò inferiùs declarabi-  
tur pleniùs : nunc autem tribuamus veram  
calcem esse ; ne gradus inuentionem con-  
fundamus: relinquaturq; (vti inueneramus )  
aqua calida sicca in tertij ordinis initio .

Remanet ferri, & sulphuris proportionē:  
sed cum octaua sit sulphuris pars , dimi-  
dium gradum caliditatis , & siccitatis ab eo  
habebimus : siquidem sulphur quarto ordi-  
ne calidum siccum constituimus, remisso ta-  
men, non intenso ; quarè & remissum etiam  
dimidiatum hunc gradum possidebit ; vnde  
de eo , quantum ad ~~re~~ <sup>ad</sup> ~~hunc~~ <sup>hunc</sup> huius  
composit onis pertinet , nulla ferè habenda  
consideratio est : sed dicemus aquam rema-  
nere hucusquè calidam sicciam in secundo or-  
dine absoluto, intensoque: vel in tertij prin-  
cipio . Ferrum si deuoretur multam corpo-  
ri noxam inficeret , vel parua quantitate ac-  
ceptum; nam tametsi modicè refrigeraret, &  
valentè exicçaret; atque ex hoc nullum sub-  
sequi posset incommodum ; tamen cum ipsū  
nullo pacto ab humano ventriculo . confici  
possit,

possit, suo pondere illum maximè offendere. vnde tormina, tandemque intestinorū difficultates, & alia sœua symptomata, & morbos gigneret; quarè non sic eius qualitas, dum intùs assumitur, æstimanda est; sed, vel vbi extinctum pluriès in aqua candens fuerit; vel cum per eius venam aqua labatur, eiusque rapiat qualitates. Ita verò eius quantitatem assignare non est; quia neque librari pondere, neque mensurà aliquà accipi potest per se enim illud sic habere non possumus; aqua verò raptum commensurare non licet; quarè sola coniectura de eo divinationem aliquam faciet. Quia verò diximus subduplam esse ferri, ad calcem proportionem; si tanta eius esset quantitas in aqua, quanta sufficeret ad suum gradum absoluendum, possemus dicere vnicum esse frigiditatis gradum ex ferro ad aquam additum. Sed quia qua ferrum quantitate frigefacere in secundo ordine possit, ignotum nobis est; ideo illud tutò affirmare non possumus. Conijcimus tamen & de ferro vix modicam debere fieri considerationem: Primùm quidem quia eius frigidas paululùm suprà primum gradum statuta

ta est: vnde paulò plus, quām gradus medietas ad frigiditatem adderetur: Deinde quia, & infrā modum esse ferri qualitatem, quām vt proportione ad secundum frigiditatis gradum respondere valeat, non leuis suspicio est; nam & modicè astringit aqua, & ferri natura repugnat quodammodo, vt ex eo tantus gradus haberi possit. adde quōd breue etiam spatium est, per quod aqua pertransit. Quōd si non nihil frigiditatis ex eo remanserit, remitteret à pauca illa caliditate; quam ex sulphure haberi posse prædiximus. Adhuc igitur remanet aqua calida sicca in tertio ordine remisso. Sed de ferri siccitate nihil dictum hūc usquē est; quare hæc restat discutienda, ~~namque ex tam~~ pauca ferri mixtione, non multam adiungi posse siccitatis vim; sed gradus medietatem apponere, fortassis sufficerit. Vnde fuērit aqua calida quidem in tertio ordine imperfecto, sicca verò in eodem ferè absoluto, intensoque.

Verūm enim uero cum calcis natura, & vis maior, minorue esse consueuerit, pro natura lapidis, qui comburitur; atque iam dictum sit in hoc monte non esse veram calcem;

cem; hoc est eam, quæ ex durissimis lapidi-  
bus fit, nisi quidpiam admisceatur ex duriori-  
bus lapidibus nigris; ex quibus admi-  
tasse fieri afferuimus: idco non usque  
adeò vrent naturæ statuenda est hæc calx,  
ut illa. Probauius enim maiori ex parte  
cinerem esse tophosi lapidis; illius inquam,  
qui cæmenta in Neapolitano tractu suppe-  
ditat; qualem esse uniuersum montem liqui-  
dò constat. Hoc autem genus lapidum bre-  
uiori tempore comburitur; unde vis ignea  
non ita validè in eo imprimi potest, ut in  
vera ealce. Propterea à summo caliditatis  
gradu paululum declinabit, nostræ autem  
rationes; si vera adesset calx, illum, quem di-  
ximus gradum inuenientur, quarè aliquid  
adhuc ab aquæ temperamento detrahendum  
est. Relinquetur autem calida in secundo  
ordine absoluto; sicca verò paululum ultrà  
secundum; hoc est ex aliqua parte tertium  
pertingens.

Quamuis igitur calx deleteriam fortiatur  
naturam; humoris tamen admixta duplci no-  
mine illa exuitur, tunc quia minus terrena  
est, quam alioqui esse folet (diximus enim  
eius quam tenuissimas partes per aquam dis-  
pergi)

pergi) tum etiam, quia acria omnia, quæ cū humiditate connectuntur, refractam habent vim. Adde etiam quia cum nonnullis alijs, quæ frigidæ sunt potentiae, componitur. Fuerit autem huius aquæ substantia quodammodo iridi similis, aut apio, aut daucō, aut fœniculo, consimilibusque, à quibus eò tantum differet, quòd tenuioris erit substantiae: quamobrem & poterit præstare ea omnia, quæ iam dicta præstare solent, sed multò maiori quantitate præberi, ex quibus clarissimum est, posse aquam hanc tutò intus propinari, vimque habere posse incidendi, ac per dejectionem educendi crassos humores; per halitum digerendi sudores, vrinasque, & menses ciendi: thoracem à lentis humoribus expurgandi, flatus etiam discutier; spirandi difficultati, hepatis, lienisque obstructionibus opitulabitur; atque in summa omnibus internis vitijs, à frigido humore obortis. Sed nec ob ferrum timendus est eius potus: scimus enim multas ferreæ naturæ aquas felici successu dari ad multos affectus. Auicenna vult ab ijs omnia viscerá corroborari, prohiberiique stomachi corruptionem: roborat enim iecur, lienem, &

sto-

Stomachum: quia exiccat eorum humiditates, quæ impedimento sunt calori naturali, quò minus suo fungatur munere; quarè singulti etiam prodest, & vomitui; promptosque efficit ad Venerem impotentes: renes expurgat, vrinas mouet, fluxiones ex hepatis imbecillitate prouenientes, compescit: arenulas educit; vnde & à calculo præseruat; & multas alias præstat vtilitates. Sulphur verò nec aliquem ex eius potionē timorem incutiet: quandò constet non solùm balnea sulphur participantia bibi ad varios affectus corporis; sed etiam per se pulueratum dari solere: balnea verò potu præstantia multa sunt: inter quæ famosissima ferè Caldariana, in agro Veronensi; quæ sulphur habent, & ferrum; vt sciamus etiam ex his ferream aquam potari absque noxa posse: hi enim fontes potu asthmaticos, aliisque multos affectus, diuino propemodum auxilio, iuuant. Per se verò sulphur obstrunctiones aperit; vnde rechio morbo potum auxiliatur, & hydropses lanat; prodest tussibus, suspiriosis, puluerulenta ex tussientibus; facit ad grauedinem, & destillationes; discutit concretum sanguinem; & quædam alia præ-

præstat, de quibus Diosco . & Plinius .

Cum igitur nullum eorum , quæ in hac aqua ingrediuntur , intus acceptum noxam inferat, immò, & quām maximè iuuare possit, reliquum est, ut dicamus aquam ipsam tuto potari posse : quarè ad eius vires examinandas accedamus : sed prius simplicium qualitates dicendæ sunt . Quia verò ea , quæ vnumquodque possit intrò acceptum , ferè enumerauimus, remanet, ut quantum valeant exterius admota , recenseamus . Diximus sulphur nullam habere repercutiendi vim ; quarè ad psoras, & lychenas , & lepras non aliud prestantius est : scabros vngues, & vitiliges tollit : pruritus toto corpore erumpentes sedat . Podagra ~~conducit~~ ; lethargicos suffitu excitat: grauitatemque auditus sanat per fistulam hausto nidore : Contusis auribus medetur: Lendes in palpebris tollit ; stomachum frigore laborantem extrinsecus inunctum, & ventris tormenta sedat: superadditur ad ulcerum adustiones : Balneum ex eo, & nitro mirificè mitigat podagras ; pradest virulentis ictibus , præsertim verò scorponis, & Draconis marini . Ferrum exterioribus partibus admotum hæc præstare potest:



test : nam vlcera fordida, & serpentia, & quæ cacoëthe vocantur , exiccat , & consolidat : confert igni sacro, lepris, pruritibus, & scabiei : inflationes , & papularum eruptiones , exterasque pustulas humore, ichoribusque plenâs exiccat . Impetigines, vitiligesque tollit : alopecias replet , & tineas : Neruatum doloribus, & laxationibus confert ; & podagras lenit . Conuulsiones ex replectione sanat : ossium fracturas ferruminat: auris saniem compescit ; asthmaticis, spleneticisque , & hepaticis prodest : partes molles densat . Ex aqua ferrea , si caput abluatur , distillationes , & dolores ex pituita orti, remouentur ; & innumeros ferè alios præstat usus, de quibus cōculendi sunt auctores celebres .

Calx adurente vi exuta , vim habet concoquendi, molliendi, dissipandi, & vlcera ad cicatricem perducendi : Aqua verò , in qua calx macerata fuerit, lixiuum fit : quod valet ad discutiendos , molliendosque prædros tumores ; hydropicorum aquam absumit , si in ea balneentur ægrî . Podagricis etiam utileissima , & his consimiles affectus persanare potest ; sed roborare membra non valet,

valet, quia nihil in ea est astrictionis.

Ex quibus sanè absque vlla hæsitatione proferre me posse existimo, quibus potissimum affectibus præbere indubitatum auxiliū possit hæc aqua; hanc nimirum obseruans rationem; Nam quos morbos tria illa medicamenta singulariter remouere valent: eos tutius, & celerius ab hac aqua sanari posse dic emus. In quibus verò sanandis duo ex his tribus concurrant; posse quidem eos p̄sanari, sed aliquantò diuturniori tempore, & aliqua cum difficultate. At in quibus vnicum ex his valeat, lenientur ex eo, mulcenturque morbi; si non ex toto remoueri poterunt: in qua re exempla nonnulla affero- mus. Nam quia vniuersitatem aquam diureticam statuimus, ob acrimoniam à calce contractam; quæ, & viscidos humores attenuat, & incidit; miramque partium subtilitatem possidet; cum præterea, & eandem vim ferro tribuerimus; quia nimirum exiccat eosdem humores; sulphur verò cum, & ipsum detergendi vim habeat, & quæ dura sunt, laxandi; non immerit aquam hanc antè omnia alia rerum morbis omnibus opitulari nullo du- bio dicetur; in primisque non solum à cal-

culo præseruare; sed lapidem ipsum, siue sic  
in renibus, siue in vesica, comminuere, atque  
in puluerem redigere; quamobrem facile  
excerni queat: quod non prædicta solùm ra-  
tione probari potest; sed etiam si sapores  
inspiciamus; qui ideo sunt, quia à tali natu-  
ra ortum ducunt: est enim aqua aëris, & aci-  
da: qui duo sapores summam in ea tenuita-  
tem denotant: ac per hoc miram penetrandi  
vim. Vnde fit, vt vbiunque simul ambo  
conspiciuntur, incredibiles ferè effectus in  
dissoluendis, vel durissimis rebus, apparere  
soleat, quod, & Vitruvius animadvertisit ace-  
ti exemplo: hoc enim plumbum, rem quidem  
duram, ductilemque, in cerussam conuer-  
tit: quam nihil aliud dixeris, præter tenuis-  
simum puluerem. Prætereà æs in æruginem,  
aceti yì, transit; ouumque ex eo ita molle-  
scit, vt per augustissimum anulum, cere instar  
pertranscat; atque in quamvis formam, nul-  
lo interim perpresso detimento, cogi possit.  
hinc multæ suæ aquæ; quæ ideo calculis po-  
tae, presentaneo sunt auxilio; vt Acidula ap-  
pellata ad Teanum oppidum Campaniæ. Ef-  
fectus vero in hac ipsa aqua satis conspicuus  
fuit; nam quamvis nullo medici consilio, mul-  
laque

Iaque ratione à vulgaribus potaretur ; mirū  
camen effectum sensere hi , qui per plures  
annos rēnum, & vesicę lapillo cōfictati sunt.  
Ad hunc igitur, affectum tollendum nullo  
dubio , immò audēter illam medici potan-  
dam præbeant . Similiter, & in alijs, hanc ra-  
tionem seruantes , in quibus valetudinibus  
aqua hæc multūm efficax sit in quibusue mi-  
nus, inueniemus . Vnde cum tam sulphur ,  
quām calcem, quām etiam ferrum podagri-  
cis hæc aqua præsentaneo auxilio iuuet: nec  
minus eādem ratione articulorum omnium  
dolores: Sed sufficerit in his duobus exem-  
pla dedisse ; ac cætera quidem , quibus pol-  
lere hanc aquam credimus , his omissis pro-  
ponemus; Nam lector demde; illa aditus ra-  
tione, facile cognoscet , quos morbos facil-  
limè , quos aliqua cum difficultate remoue-  
bit ; ex qua re ei ratio commostrabitur, quā-  
dō diuturniori , quandō breuiori tempore  
eius usum præcipiat : atque ut ab internis  
affectibus exordium sumam conferet Hæc  
acqua omnibus ægritudinib., quæ ex medio-  
tri frigiditate, atque immoda humiditate  
procreantur ; vel si ex summa frigiditate  
fiant , diuturniori tempore exhibita, quam-

obrem apoplexiæ, comitiali morbo, paralysi, neruorum dissolutioni, vertigini, cæterisq; id genus valetudinibus egregiam opem præstabit. Vomitibus expuitionibus continuis, singulti, inappetentie ob crassos humores in tunicis vetriculi infarcitos, opitulabitur seiusque calorem recreando, coctiones adiuuabit: Asthmaticos, orthopnoicos, dispnoicosque à suspiriosa anhelatione recreabit: Tussi veteri, hepatis, licnisque obstructioni, ac tumoriibus; regio morbo, & vrinæ difficultati maximo erit adiumento, flatus discutiet, ac colicos dolores sanabit: menses remoratos ciebit; & uteri affectus ex frigida causa obortos, remouebit: ex qua causa, si qua mulier non concipiatur, ad concipiendi spem deducet: Tineas necabit, & expellet; duritiei: vuluae, humiditatibusque, & torminibus quam maxime succurret: quibus omnibus non solum, quia humores partim exiccat, partim per ventrem inferiorem, partim etiam per vrinas, & sudorem educet, opitulabitur, sed etiam, quia viscera omnia, mediocri astrictione, mirificè corroborabit; unde ne iterum ijdem morbi incident, præcauebit.

Exteriores verò affectus multi ab ea sanari

trari poterunt; præsertimqne ulcera maligna,  
& serpentia, & sacros ignes compescet: psoriasis, lichenasque, & vitiligines obsterget, &  
omne erumpentium pustularum genus; ex  
ea etiam si facies abluatur, eius maculas de-  
lebit, & coloris nitorem inducit: Alopecia-  
rum inanitates replebit: Dentium, gingiu-  
arumque putredines, mobilitatesque eme-  
dabit, si eà os colluatur: hemoroidum tu-  
mores discutiet: fracta ossa ferruminabit;  
callos exteret, tinnitus aurium, ex crassis  
humoribus, & flatu; auditusq, grauitati suc-  
curret: quin,& vermes in illis genitos ne-  
cabit: tumores cænnes emolliet, & discutiet;  
& venenatorum ictibus præsentaneum au-  
xilium promiet; Hydrocephalus, genos, non  
poterit modò, sed fotu imposita, persanabit.  
Multas alias commoditates præstabit; qua  
ab his, quæ superius in singulis medicamen-  
tis recensuimus, facile colligere non rudi-  
lector poterit.

Sed illud vnum fortasse impediet, quod mihi  
aus non ita promptè externos hosce affec-  
tus curet; quia in his calefacta admoueri  
deberet; sed si minimùm excaliefiat, non pau-  
cam vim perdit; siquidem cum tenuissimæ

se substantiæ, acrimonia fere omnis in pef-  
sumit. Sed consulimus, ut quod minus cale-  
fieri possit, admoueat laſe particulae, sa-  
tisque si reponem aliquem in ea habere, quod  
molesta illa frigiditas remittatur. Quod si  
nec opportunum hoc medico videatur, po-  
terit exterioribus quidem ægritudinibus il-  
lam excalefactam admouere, ad conuenien-  
tem caterorum balneorum gradum; præser-  
tim verò cum ex ea balneum, natationemue-  
fieri suauerit: nam multa sunt balnea frigi-  
da, quæ ignis artificio percalefiunt; ut quæ-  
dam, quæ in Helvetia esse diximus, po-  
tissimumque balneum à lacis crema di-  
ctum; aliudque, quod prope Curiam ciui-  
tatem est in Alfancia valle; & multa alia in  
ijsdem locis; quæ tam & si non mihi virium,  
ob ignem, amittere credibile fit; multis ta-  
men ea morbis succurrere certissimum est.  
Sed hi, quos per irrigationem in aliqua dun-  
taxat corporis particula curare assumimus;  
modica contenti erunt calefactione. Quæ  
verò potu accipitur, eius sum sententie (vt  
nunc quidem est) ut nullam ex igne altera-  
tionem habeat: nam æstatis quidem tempo-  
re satis fuerit ea, quæ ex ambiente fit quan-  
tula.

tulacunque fuerit caliditas; hyemis verò (si modò contingat, & hoc tempore assuni) ca-  
lidior, vel ex ipso fonte haurietur: Nam si  
mediocriter calefiat, periculum est, ne rela-  
xetur ventriculus, ac statim vomatur; si mul-  
tum, vim ferè omnem amitteret; quarè suade-  
rem, ut aqua hæc non nisi Iulio, & augusto  
mensibus potetur; quin etiam exteriùs ad-  
moueatur. Hoc enim in multis balneis ob-  
seruari videmus; quæ mediocri tempore pol-  
lent; veluti sunt Caldariana in Veroneñi  
agro; quæ ob hanc rationem, nonnisi medio  
Iulio, ad Augusti finem salutare usum præ-  
stant: & in hac ipsa aqua ferè obseruatum  
est: æstate enim media à rot millibus homi-  
num potata est: quo tempore etiam admi-  
rabiles ferè effeclus narrari audiuimus; quos  
ideò filemus; quia cum nulla adhibita ra-  
tione, nulloque consilio à virgo acciperetur;  
non tam aquæ vi, quam fortuna rerum salu-  
tiferi euentus ascribi possent: quod si sic as-  
sumpta tam multos iuuit; quid ab ea spe-  
randum est, prudentis medici consilio iudi-  
cioque accepta? Illud etiam animaduerten-  
dum est, vt recentèr, quoad eius fieri possit,  
assumptam potemus: & si licebit iuxta fon-  
tem

tem ipsum; ne tenuissima eius substantia, vaporando, in aërem dissoluatur; tantum vero in ambiente tenuisse eam sufficerit; quo ad te por aliquis ei accedat; frigiditasque, quam ob antiparistasim in terræ concavitatibus contraxit, deperdatur. Verum diutiùs eam permanere permittendum non est; nam quod eius sapor acris post unam, aut alteram horam multum remittatur in vase posita (quam ob rem bonam potentia partem amittit) superius protulimus. At si calentem illam dari quis commodius existimauerit, poterit quidem quasi tentando experiri; de hac enim re periclitatio, rerumque euentus medicum in dies admonebit; ac instruet: ut paulatim meliorem viam cognoscat, & deligat. Licebit etiam, & eam clysteri immittere, siue ad ischiadicum dolorem, siue ad ascaridas necandas, aut ad aliquem alium affectum.

Eius vero quantitatem praescribere operæ pretium fuerit; sed hoc difficile admodum est, ac medici peritia relinquendum; praestauerit autem à modica eius potionē incipere, paulatimque ad maiorem accedere, donec debitam inueniat in unoquoque corpore mensuram. Itaque prima die à dimidia libra

libra incipiens, singulis diebus pondus aquæ  
augeat; quo ad maximam quantitatem per-  
ueniat, ex qua copiosa alui delectio, vel vri-  
næ, vel vomitus, vel sudoris (perinde ut ad  
hanc aptius, quam ad illam vacuationem)  
hoc, vel illud corpus extiterit) fiat. Hic enim  
ordo non solum in ignotis aquis fit, sed in  
illis etiam obseruari solet, quæ longo. usu  
probatae sunt; assuescit namque ita pauplatis  
corpus; atque quodammodo apparatur, ut  
nulla molestia magnam demum quantitatem  
accipiat, ut in libro de cognoscendis simpli-  
cibus yber ius docuimus.

Numerum verò dierum, quibus bibi de-  
beat, eadem ratione nec licet præscribere;  
cum affectuum varietates, & temperamentorum  
maximoperè tempus etiam ipsum va-  
rient. terminus autem potionis esse poterit,  
quo ad pura, nullisque excrementis permix-  
ta per conuenientes regiones exeat.

Cæterum quod is, qui ad huius aquæ po-  
tum accedere cupiet, non nisi purgato per  
decens medicamentum corpore accedere de-  
beat; præterea quod optima victus ratione  
inter potandum vti debeat; itemque quod à  
potione ad prandium satis commodum in-  
ter-

terstitium ponat, notius est, quām ut sub-iudē dicendum sit. Nam siue semel singulis diebus, siue bis, siue potius alternatim eius potus exhibendus sit; medici etiam arbitrio, & prudentiæ reliquimus. Illud tamen animaduertisse par est, statim ab assumpto potu commodum esse per duas horas leniter ambulare: præsertimque si nullo pacto ab igne calefacta aqua assumatur. Excitatur enim ex deambulatione calor naturalis; unde citius, fæliciusque aqua opus suum præstabit. Quædam verò alia, quæ ante potum medicatæ aquæ, & post, obseruari solent; ut putà quod omni cogitatione incumbat æger, ut fæcibus corpus expurget, siue id per se fiat, siue clysteris decentis admiculo, & id genus multa alia; quia ab alijs, qui thermarum potiones præscribunt, vberrimè dicta sunt; & eodem pacto in hac aqua fieri debent; ideo silentio præterimus.

Hæc sunt mi Paule, quæ de aquæ ferreæ, vulgo dicetæ, tum mineris, tum facultatibus in medium afferre potui. quam quidem rem quām verè felicitèrque sim asscutus, satis mihi exploratum non est. Tu verò pro tua illa, quam omnes admiramur, eruditione;

quæ

109  
quæ corrigenda esse existimabis (aderunt u-  
trem quām plurima) corrigas velim; quo non  
solū ipse de meis erroribus admonescarē so-  
etiam mortales omnes (quibus hæc legere  
contigerit) veritate perspecta, iuuari possint.  
Aut si id tibi per grauiora studia minimè li-  
cuerit; saltem laborem hunc meum tua cau-  
sa suscepsum, qualisunque fuerit, grato  
animo prosequere. Nam, & si ex eo nullam  
mereri me laudem posse apertè video; offi-  
cium tamen in te meum iucundissimum, gra-  
tissimumque tibi esse, quām maximè cupio,  
exoptoque. Vale.

F I N I S;

# *Ergatis*

# *Corrigē*

menia	pag. 7.	Min. 24.	mænia
Zucūlliātum	7.	25.	Lucullanum
pitaitæ	13.	16.	pituitæ
tamquam	14.	10.	tamque
as	16.	23.	æs
eitæ	33.	24.	etiam
præstare	90.	6.	præstare











